Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christoph Bielefeld Johann Christian Lange

Dissertatio Theologica Inauguralis: De Antiquissimo Et Novissimo Theologico : h.e. De Jesu Christo: Totius Verae Theologiae Centro; Ac Religionis Pantomysterio ...

Gissae: Vulpius, 1716

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0001
DFG

93

Fa 1092 (93.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0002
DFG

DISSERTATIO THEOLOGICA INAVGVRALIS:
DE
ANTIQVISSIMO ET NOVISSIMO THEOLOGICO.
h. e.
DE
IESV CHRISTO
TOTIVS VERAE THEOLOGIAE CENTRO;
AC RELIGIONIS PANTOMYSTERIO.

QVAM
DIVINA ADSISTENTE GRATIA,
INDVLTV VENERANDI ORDINIS THEOLOGORVM,
PRAESIDE
SVMME REVERENDO DOMINO,
DN. IO. CHRISTOPHORO BIELEFELI
Doctore & Professore Theologo Primario, Ordinis sui h. t. Decano,
SERENISSIMI PRINCIPIS Hasso-Darmstadini Consiliario in Ecclesiasticis Supremo
Hassiaeque Superintendenti Primo,
PATRONO AC PROMOTORE SVO MAXIMOPERE DEVENERANDO,
PRO LICENTIA
CONSEQVENDI IVRA DOCTORATVS,
IN ALMA LVDOVICIANA
DIE XXII. DECEMBR. ANN. MDCCXVI.
PROCERVM EXCELLENTISSIMORVM
EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT
IOANNES CHRISTIANVS LANGIVS,
hucusque in Illustr. hac Acad. Prim. & Rational. atque antehac Moral. Philosoph.
Prof. P. Ordinar. nunc vocatus ac designatus Ecclesiar. Principat. Nassouico-
Idsteinienss. Superint. SERENISSIMI PRINCIPIS Concionat. Aul.
& Consiliar. Ecclesiasticus.

GISSAE, Apud VIDVAE IOH. REINH. VVLPII, & Eb. Henr. Lammers.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0005
DFG

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
GEORGIO AVGVSTO,
PRINCIPI NASSOVICO,
COMITI SARAEPONTI ET SAARVVERDENAE,
DYNASTAE IN LAHR, VVISBADEN ET IDSTEIN,
CAETERA:
PRINCIPI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO:
IN CVLTVS SVBIECTISSIMI DOCVMENTVM,
CVM OMNIGENAE FELICITATIS ADPRECATIONE,
D. D. D.
DEVOTISSIMVS AVTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0006
DFG

SERENISSIME
PRINCEPS AC DOMINE
DOMINE CLEMENTISSIME.

AD TVAS CELSISSIMAS MANVS cur hoc quale quale Academicum ſpecimen, TVO CELSISSIMO NOMINI inſcriptum, cupiat pertingere : haud multo verborum adparatu reddenda mihi eſt ratio. Satis enim id eloquitur munerum, ad quae, DEO ita prouidente, TVAQVE PRINCIPALI GRATIA eadem deſtinante, clementiſſime ſum euocatus, in ipſo

Dissertationis titulo expressa designatio. Haec nim publici mihi est instar testimonii, quam ratiosa fiducia me, suis meritis diffidentem, nihilq; eorum ambientem, (quod DEO TIBIQVE notum ac perspectum esse laetor,) sueris complexus, cui tot animarum, CELSISSIMO TVO REGIMINI subiectarum, Ecclesiarumque, in quibus pascuntur Christoque colliguntur, curam atque ephoriam praecipuam, ad aeternam earum salutem promouendam, dignumque nomine Christiano decus siue conciliandum, siue seruandum, credidisti; pluribusque haud inferioris notae documentis eandem comprobasti. Quibus certe omnibus ita Tibi me deuinctum reddidisti, vt summum ius absque iniu-

ria fuerit, hoc publicum inter prima extare de centissimae meae erga Te deuotionis documentum. Perinde enim, ac annis abhinc fere nouendecim SERENISSIMO PRINCIPI HASSO-DARMSTADINO, DOMINO & NVTRITORI MEO IN HVNC VSQVE DIEM CLEMENTISSIMO, (cuius per tot annos in me collatam Principalem gratiam vberrimam, etiam discedens pie semper recolam & venerabor,) Academici muneris primitias, eadem ductus pietate, publice ausus sum offerre: ita iam TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, noui a TE mihi impositi muneris Ecclesiastici has veluti primitias, & Academici, (quo TVO iussu, pristinique Domini mei clementissimo indultu,

unc me abdicare debeo,) decimas veluti po-
remas, maxime omnium deberi in aprico
ſt. Eas vero ſubiectiſſima, qua decet, Vene-
ationeTIBIoblaturum in laudes Tuas hic dif-
undi, TE indignum iudico: cuius virtutibus
elſiſſimis, iisq; & huic ipſi Illuſtri Academiae,
quae annis abhinc triginta ſeptem TE Caput
& Rectorem ſuum Magnificentiſſimum eſt
venerata,) iam ſatis notis ac perſpectis, vel absq;
vllo meo praeconio, ſua iam per ſe ipſas ſatis
conſtat publica dignitas, ſummumque decus;
nec praeco etiam conuenit, quem decet ab
omni eo, quod vllam poſſit adulationis prae-
bere ſpeciem, eſſe omnino alienum. Vnum ta-
men eſt, quod ad celſiſſimas Tuas laudes o-
mnium maxime pertinens, hoc loco mihi eſt

minime

minime tacendum: id nempe, quod possis inter illos Principes connumerari, quibus non modo politicum, quod TV quoque dextre prudenterque geris, principatus sui regimen bonarumq; literarum, quibus & ipse es singulariter ornatus, emolumentum atque decus curae cordique sunt; sed quibus & IESVS CHRISTVS, supremus humanae salutis Dux & Autor, est ita in deliciis, vt suam suorumq; omnium felicitatem ac salutem in Eo velint maxime fundari atque collocari. Hunc igitur in praesenti Dissertatione, meo quali quali depictum penicillo, TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, magna cum fiducia offero; Huiusque in terris Tuis fidelem posthac Tuo iussu ministrum ac praeconem me futurum clementissime suscipies; nec minus clementissime feres, vt ex hoc vno verae salutis ac beatitatis fonte omnia illa TIBI TVISQVE apprecer humillime, quae ad felicitatem quamcunque exoptatam, TE atque fastigio TVO dignam, censentur pertinere. Dabam in Academia Ludouiciana. D. XVII. Dec. A O.S. MDCCXVI.

AD LECTOREM BENEVOLVM PRAEFATIVNCVLA.

QVod pluribus euenit Ecclesiae antiquae patribus, vt e Philosophis CHRISTI denique euaderent praecones atque publici doctores: id mihi quoque, cui caeteroquin satis est gloriae, in filiis verae Ecclesiae connumerari, nunc tandem euenisse est dicendum; ex Academia, in qua per quatuor fere lustra Philosophiam publice docui, ad ministerium CHRISTI, & Euangelium Ipsius praedicandum, euocato. Quod si aeque essem animo affectus, ac olim AVERROES, celebris Arabs, qui fertur, Capernaitico sensu de Christianis pronuntiasse, nullam iis stolidiorem Sectam reperiri, eo, quod Deum, quem colerent, dentibus deuorarent; propterque hoc ipsum dicitur maluisse, animam suam cum Philosophis, quam Christianis esse: repulsam sine dubio tulisset, quisquis me voluisset ad munus istud euocare. Nunc vero, cum anima mea malit cum Christianis esse, quam quidem cum eiusmodi Philosophis: etiamsi melioribus Christique amatoribus hic sociatus vixerim; haud tamen mihi renitendum duxi, quin CHRISTO me vocanti cederem, eique nunc maiori studio, quam quo hucusque fieri potuit, me ipsum, omnemque meam philosophiam consecrarem. Non, quod plane abiicere velim philosophiam, quae Christianum hominem decere potest; quaeque semper mihi erit magno in pretio: sed, quod in Christi doctrina, tamquam praecipua Philosophia, pro noui muneris ratione, posthac praecipue versari mihi sit propositum. Quo ipso etiam adductus sum, vt, cum rerum mearum ratio hoc Academicum specimen exigeret; CHRISTVM mihi eligerem pro argumento, publice, ad consequenda lustra Doctoratus, more Academico habendae Disputationis: quo certe nullum eligi poterat illustrius, ad mentis atque sensus mei in Euangelica doctrina puritatem, Doctori praesertim Euangelico conuenientem, publice comprobandam. Quod si in ea iam conscripta & publice exhibita, alii maiorem doctrinae Christianae simplicitatem, alii maiorem variae doctrinae adparatum, requirendum sibi duxerint: confido, apud vtrosque excusationi locum fore. Et apud illos quidem eo nomine, quod Scholae in hoc Academico specimine dandum aliquid fuerit: apud hos autem, quod scripta sit Dissertatio opera propemodum tumultuaria; dum abitum iam pararem, meamque supellectilem componerem, & auehendam traderem. Quare nihil quidem mihi restat, quam vt ILLVSTRI huic ACADEMIAE, quae per tot annos me publicum doctorem fouit, Eiusque cum PROCERIBVS EXCELLENTISSIMIS, tum CIVIBVS LECTISSIMIS, ex animo valedicam, Ipsiusque perpetuo fauori, beneuolaeque recordationi, fausta ei quaeque & felicia precatus, me commendem.

SECTIO

SECTIO PRIMA,
HVIC TRACTATIONI GENERALIS:
qua agitur
De IESV CHRISTO a Christianis omnibus maximopere celebrando: deque Eo secundum Nomen atque Rem h. l. summatim praenoscendo.

Aphor. I.

NIhil homini ac coetui Christiano, huiusque doctoribus pastoribusve, debet esse magis familiare ac solenne, quam gloriam IESV CHRISTI, omni tempore & loco, omnique conueniente modo, praedicare atque celebrare. *

* Ratio in promtu est, quod CHRISTIANI, primum *Antiochiae*, secundum Actor XI. 26. nomine hoc appellati, (id quod demum anno Chr. XLIII. Claudii Imperator. III. fuisse factum, ex antiquitatum Ecclesiasticarum apparatu Viri docti probant,†)per CHRISTVM sunt ac fiunt *Christiani*; & vniuersa professionis suae bona atque commoda, caeteris sane omnibus maiora, huic suo glorioſissimo Capiti ferunt merito accepta: nihilque pro-

A inde

(† Vid. *pag. sequent. sub hoc* Signo.)

inde potest eos decere magis, quam vt illius gloriam extollant, & amplificent, cuius beneficio *nomen* & *rem* habent, h. e. a quo *appellantur*, & per quem *saluantur*, quique ipsorum *laudibus* est quam *maxime dignus*.

† Ita praeeunte *Hieronymo* & *Ioanne Antiocheno*, itemque *Suida*, sentit *Ioh.* SELDENVS de Synedriis, L. I. & qui ex Seldeno sua desumsit, *Bald.* VVALAEVS ad h. l. in Commentar. ad Libb. N. T. Historic. tum quoque, qui hoc argumentum recentissime tractauit, & plures huius sententiae Autores citat, Vir cel. *D. Ioh. Franc.* BVDDEVS, in Dissert. Historico-Theologica, ad loc. Act. XI. 26. de *origine, dignitate & usu nominis Christiani*, §. III. Syntagm. Dissertt. Theolog. p. 389. seqq. Quocum, circa dicta §. VI. de huius nominis *occasione*, meretur etiam conferri *D. Thomae* ITTIGII, (Auunculi mei p. m.) Hist. Eccles. Sec. I. Cap. V. §. V. p. 257. vnde lucem ac emendationem fortasse accipient, quae in *Arnoldiano Commentario* de *primaeuo Christianismo* L. I. c. VII. §. I. eam in rem ex *Athanasio* citantur.

Est is enim ὁ κύριος τῆς δόξης, *DOMINVS GLORIAE*, seu *Dominus maxime glorioſus*, 1. Cor. II. 8. siue ex ratione *Hebraismi*, siue ex *ipsius rei* conditione, hoc modo phrasin apostolicam interpretemur. Idque cum ratione DVARVM NATVRARVM, quarum respectu is vel est ipse *Deus summus*, quo nihil in rerum vniuersitate datur glorioſius, Esa. VI, 3. collat. cum Ioh. XII. 41. vel *Homo summus*, & supra omnes reliquos homines quam longissime excellens; quippe in quo gloria Diuina, (tanquam V.T. שכינה apud Iudaeos Scriptores adeo celebris, in suo tabernaculo vel templo,) habitat corporaliter secundum omnem sui plenitudinem, Exod. XL. 34. 1. Reg. VIII. 10. 11. collat. cum Ioh. I. 14. Coloss. I. 19. c. II. 9. tum ratione TOTIVS PERSONAE, quae habet *vtriusque naturae* gloriam in se coniunctam, Rom. IX. 5. tum ratione OFEICII, quo summi *Prophetae*, summi *Sacerdotis*, summique *Regis* gloria refulget, Ioh. VI. 14. c. VII. 40. c. XIII. 13. Hebr. VII. 21. 26. sqq. Apoc. I. 5. c. XIX. 16. tum ratione EFFECTVS, quo omnia maxime glorioſa aeque glorioſe *peragit*, Marc. VII. 37. Hebr. V. 9. c. X. 9. 10. 14. c. XII. 2. suosque fideles reddit suae gloriae participes, Ioh. XVII. 10. 22. Eph. I. 17. sqq. tum denique & ratione CVLTVS, quo credentes in Eum, hoc suum Caput ut maxime glorioſum *venerantur*, eiusque gloriam extollunt, & omnia ad gloriam ipsius referunt, Ioh. XVII. 10. Eph. I. 22. c. IV. 15. Colloss. III. 17.

Quare ἡ δόξα, addita h. l. ipsius Κυριότητι, non tam est *restrictiua*, (quod contra exceptionem Catecheseos Racouiensis Theologi quidam nostrates iubent obseruare,) quam *descriptiua* Dominii: eoq; non tam exprimit *Dominium gloriae*, quo is omne, quicquid est gloria, possideat, & in potestate sua habeat; (licet nec hoc sit a veritate alienum, &, si hoc modo explicetur, Socinianae sententiae sit parum conducibile;) quam potius *gloriam Dominii*, siue *Dominium maxime glorioſum*, cuius emphasi etiam prius illud re ipsa comprehenditur.

ditur. Vid. D. DANNHAVERI Dissert. de *Domino gloriae crucifixo*, §. 5.6.7. nec non §. 10. vbi obseruat, hoc dictum Paulinum *Iuliano Apostatae*, neganti, quod vsquam Paulus diuinitatem Christo tribuerit, a *Cyrillo Alexandrino* fuisse percommode obiectum; & add. *D. Ahasu.* FRITSCHII Analect. Sacr. L. II. C. II. quo agitur de *Gloriatione Christiana.* Et vero gloria illa Iesu Christi semper etiam effecit, vt fideles ipsius confessores fidei suae tenacissime adhaeserint, ideoque ab hostibus suis, & speciatim a *Porphyrio* & *Iuliano*, nec non *Damascio*, veluti per conuicium, κρατοῦντες seu *firmiter tenentes*, (sicuti & Christiana religio ἡ τῶν κρατούντων δόξα, h. e. *firmiter tenentium opinio* vel *gloria*, aut quoque ἡ δόξα κρατοῦσα, siue *pertinax opinio*, vel *gloria*,) sint appellati. Quam in rem vid. EVSEBIVS, H. E. L. IV. c. VII. & *Henr.* VALESIVS in Notis ad h. l. Eusebii.

Aphor. II.

Habemus huius Doxologiae Christianae grauissima cum *Praecepta*, * tum *Exempla*, ** in sacro Veteris Nouique Testamenti Codice extantia; piisque *Ritibus* ac *Moribus* *** priscae ac recentioris Christianorum aetatis comprobata.

* *PRAECEPTA* ad eam pertinentia, deprehendimus Esa XII. 4. 5. 6. Ier. IX. 24. 1. Cor. I. 31. Eph. V, 19. sq. Coloss. III. 16. 17. non obstante, quod priora ex his oracula simul sint vaticinia.

** *EXEMPLA* eiusdem, (in quibus inter diuina prorsus excellenter talia ipse *Coelestis Pater*, Christum glorificans, Ioh. XII. 28. seqq. nec non glorificans eundem *Spiritus Sanctus*, quem certissimum purae veritatis coelestis *Indicem* ac *Vindicem*, ex verbis Christi Ioh. XVI. 14. in neruosa Dissertatione, pluribus infra memoranda, ann. 1695. Magnif. DN. PRAESES sub hoc speciali charactere hic proposuit, tum ex humanis *Pauli gloriatio* Gal. VI. 14. Phil. III. 8. singulariter elucent,) praebent nobis praesertim sacra *Cantica*, aut his similia *Eloquia*, in ipsis sacris Literis reperiunda, & ad Messiae quoque gloriam spectantia: qualia sunt ex *Vet. Testam.* Cantica *Mosis* & *Miriam*, Exod. XV. 1. sqq. Deut. XXXII. 1. sqq. *Deborae* & *Baraki*, Iudic. V. 1. sqq. *Hannae*, 1. Sam. II. 1. sqq. *Dauidis*, in Psalm XLV. & alibi passim, *Salomonis* in Cantico Canticor, *Hiskiae*, Esa. XXXVIII. 9. sqq. ipsius *Iesaiae*, Ecclesiam psal-

lentem prophetice exprimentis, c. XII. 1. sqq. *Habakuki*, c. IV. sqq. Ex *Nov. Testam.* Cantica *Mariae*, Luc. I. 46. sqq. *Zachariae*, ibid. v. 68. sqq. *Simeonis*, Luc. II. 28. sqq. Talia e sacris literis selecta, (quorum, teste HIERONYMO Epist. XXI. de celebratione Paschatos agente, & Donatistis hymnos θεοπνεύστους fastidientibus opposita, praecipuus olim in *Ecclesia Latina* usus fuit,) iunctim edidit *D. Christophorus* CORNERVS, Lipſ. 1597. 8. additaque Dispositione & Expositione illustrauit; adiectis etiam hymnis quibusdam *Ambrosii*, *Augustini*, *Sedulii*, *Fortunati*, *Lactantii*, & *aliorum quorundam*, ex aetate sequiori.

Enimvero, cum usu suo non destituantur prorsus, quae & extra S. Scripturam ad Christum celebranduni a *variis Autoribus* vere ac pie sunt prolata: dubium non est, quin huc suo modo debeat referri, quicquid huius argumenti apud *antiquiores* vel *recentiores* POETAS CRISTIANOS reperitur. Quorum ad notitiam, si eos spectes, qui ante Sec. XVI. & XVII. in viuis extiterunt, speciatim pertinet *Andr. Christiani* ESCHENBACHii doctissima Dissertatio de *Poetis Christianis sacris*, *Graecis & Latinis*, quae inter caeteras Viri cl. Academicas Dissert. ann. 1705. Norimb. editas habetur. Quodsi & quosdam eorum, qui sequioris sunt aetatis, (quorum *numerum* in tantum excreuisse dicit modo laudatus Autor, vt *vix numerari*, *nedum recenseri accuratius* possint,) nosse quisquam velit: is poterit adire *Hermanni Hugonis* pia desideria, elegantissimo carmine descripta, una cum *Barlaei*, (cuius vtinam & reliqua Poëmata Christum aeque saperent,) *aliorumque praestantiorum* nostrae & superioris aetatis *Poëtarum Latinorum* sacris carminibus, & breui singulorum Vitae Historia, a *Io. Conr.* KESLERO in modicum volumen collecta, & cum praefatione *Gottfridi* VOCKERODTI edita Gothae, anno 1701. 12, quibus praeter *Borrichianas* aliasue similes de *Poëtis* commentationes addi possunt *Hieronym.* FREYERI *Fasciculi Poëmatum Latinorum* atque *Graecorum*, ann. 1713. & 1715. Halae nuper editi, & Poëtarum comparandae notitiae itidem inseruientes; sed sua adhuc supplementa admittentes. Inter *Germanica*, quae huius praesertim loci sunt, *Poëmata* commemorari hic praecipue merentur *D. Ahasu.* FRITSCHII, piissimi ICti, LXXII. Himmel-süsse JEsus-Lieder / quos ipse partim conscripsit, partim ex aliis collegit, edit. *Ienae*, 1663. 12. in quorum praefatione prouocat ad insignia S. BERNHARDI verba:

Nil canitur suauius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam IESVS Dei Filius;

Mel

Mel in ore,
Melos in aure,
Iubilus in corde.

Verum cum iſtiusmodi ſacrorum hymnorum & carminum, *variis Linguis* conſcriptorum, tum *compoſitionibus* tum *collectionibus* ita obruamur, vt copia eorum nimia afferat inopiam: optandum foret, vt neceſſarius in his ſelectus delectusque, a viris doctis & piis aliquoties tentatus, iuſtos fixosque aliquando terminos acciperet. Pertinent igitur huc illi omnes; qui ſpeciatim *Hymnologiam & Doxologiam Chriſtianam* veterem & nouam, variis commentationibus *Hiſtorico-Criticis* recenſendam ac illuſtrandam ſibi ſumſerunt: quos copioſe ac diligenter recenſet *D. Ioh. Alb.* FABRICIVS, Bibliograph. antiquar. cap. XI. pag. 368. ſqq. vbi ſtatim a principio obſeruat, quod ipſe *C. Plinius Caecil. Secundus* de Chriſtianorum hymnis mentionem fecerit in epiſtola illi celebri ad *Traianum* L. X. ep. 97. conferenda cum doctiſſimis notis, quae in editione *Iac. Thomaſii* ad h. l. Plinii habentur. His addi poteſt Diſſertatio recentiſſima *Vrbani Godofr.* SIBERI, quae *Hiſtoriam Melodorum Eccleſiae Graecae*, eorumque *Theologiam Poëticam* e Menaeis Librisque Liturgicis doctiſſime illuſtrans, prodiit Lipſiae 1714. 4. in qua memorabilis inter alia eſt locus EVSEBII, ex H. E. Libr. V. c. XXVIII. etiam ab aliis adductus, quo is teſtatur, *veterum Chriſtianorum hymnos* atque *odas* τὸν λόγον τῦ Θεῦ Χριςὸν Θεολογῦντας extitiſſe. Eſtque & haec praeſertim memoratu digna obſeruatio, *Clementis Alexandrini* ſtrophas, nec non *Gregorii Nazianzeni, Apollinaris, Syneſiique Cyrenenſis* hymnos, in ipſorum monumentis obuios, a Graecae Eccleſiae *Menaeis, Triodiis, Paracleticis, Pentecoſtariis, Anthologiis,* & *Horologiis*, videri ideo abeſſe, inque illis ne quidem inter hymnos in Monachorum cellis & coenaculis cantari ſolitos comparere, quod aut *priuatis* tantum *vſibus* cedere, aut *nimia elegantia*, & *profanorum ſcriptorum imitatione* ſuperbire, eoque *a S. Scripturae ſimplicitate* nimium diſtincta eſſe crederentur: quo ſane pertinent & illa, quae de Eccleſiae Latinae hac in parte caſtitate, (praeeunte eadem doctiſſima Diſſertatione,) iam ſupra ſunt ex HIERONYMO adducta. Et quaeſo, quid de *Angelica Chriſti doxologia*, quam ſtatim naſcente Chriſto, Luc. II. 10. ſqq. legimus peractam, erit nobis ſtatuendum? quam quod & illa pie nobis imitanda ſit: vt *doxologiam* iſtam *catholicam*, Philipp. II. 10. 11. & Apoc. V. 12. 13. propoſitam, ſed grauioribus interpretum conſenſiis implicitam, iam ſuo loco relinquamus: veriſſima interim exiſtimantes, quae de glorificatione Chriſti *materialiter & obiectiue* tali, (cum certe *formaliter & ſubiectiue* talem omnes creaturae non admittant,) recepta Theologorum noſtrorum fert ſententia.

*** *RITVVM* denique ac *MORVM* huc pertinentium ſpecimen, (vt taceam de *Sacra Coenae Dominicae Synaxi*, in Chriſti Seruatoris ἀνάμνησιν ſingulariter ab ipſo Chriſto inſtituta, longeque ſupra nudi ritus conditionem poſita, itemque de *diebus feſtis* in Chriſti honorem ab Eccleſia ſancitis; tum quoque de *Capitis denudatione* & *genuum flexione*, temere ac indiſtincte a quibusdam improbata, noſtrisque a Theologis vindicata,) praebet nobis *mos Chriſtianorum precandi verſus orientem*, Lipſ. ann. 1670. a *Iacobo* THOMASIO ſingulari Diſſertatione illuſtratus; quo illi Chriſtum Iuſtitiae Solem & gratioſam ἐπίσκεψιν τῆς ἀνατολῆς ἐξ ὕψους, (Luc. I. 78.) aliasque cum Chriſto connexas rationes, (licet etiam ab his diuerſae quaedam afferantur,) reſpexerunt, eoque anſam gentilibus praebuerunt, vt *Heliolatriam*, ſiue *Solis cultum* ipſis per calumniam obiicerent; perinde ac *mos ſignandae ſacrae Crucis*, qui itidem eſt huius loci, *Staurolatriam*, ſiue *Crucis cultum* ipſis tribuendi praebuit occaſionem; de quorum vtroque doctiſſime eſt quondam commentatus B. D. Chriſt. KORTHOLTVS in *Pagano obtrectatore* L. II. c. III. & VI. vbi ſimul in ritus ipſos curate inquiſiuit. Nec alienus erit ab hoc loco *Aërae Chriſtianae vſus*, ſeu *annos a Chriſto nato computandi conſuetudo*, in Chriſti honorem introducta, cuius Hiſtoriam docte nuper propoſuit *Ioh. Guilielm.* IANVS, Vitemberg. anno 1715. 4. Potuerunt denique in hunc cenſum quodammodo venire, qui vel *Apophthegmasis* & *Symbolis* religioſis, vel quoque *Inſignibus*, *Emblematis*, & varii generis *Hieroglyphicis*, ſiue in *Philotheciis*, ſiue *alibi*, ſuum erga Chriſtum amorem, eique habitum honorem, ſunt profeſſi; in quibus tradendis & colligendis compluriumum doctorum virorum diligentia verſata eſt. De *Dramatum* huc ſpectantium vſu, (quo, vt nihil hic dicam de *Chriſteide Hiſtorica* B. D DANNHAVERI, ad modum *ſacri Dramatis* conſcripta, propinquiori reſpectu referenda eſt *Tragoedia*, quae dicitur *Chriſtus patiens*, & ſub *Gregorii Nazianzeni* nomine inter eius opera excudi ſolet, ſed a *Guil.* CAVEO *Apollinario ſeniori* adſcribitur, itemque *Comoediae* quaedam, in *Cornelii* SCHONAEI Terentio Chriſtiano, vbi habetur aliqua de *Triumpho Chriſti*, alibiue obuiae, quas inter *M. Gottfr.* HOFMANNI *Euiana*, Lipſ. 1696. 8. edita ſeſe prae aliis videtur commendare,) res altioris ac difficilioris eſt indaginis, *an* & *quousque* tales, licet a ſcurrilibus fuerint purgatae, ſanctior Chriſtianiſmi ratio admittat? eritque ideo de iis maxima diſcretione atque cautione ſtatuendum. Sunt porro, qui *Libros ſuos Chriſto dedicantes*, amorem & honorem ipſi debitum teſtari voluerunt; id quod fecit e. g. *Henricus* MORVS, Cantabrigienſis, in operibus ſuis Theologicis, ann. 1675. Londini editis; itemque *Hieronymus* DICELIVS in Geographia ſua ſacra, ann. 1704. Lipſiae edita; formula Dedicationis ad typum *titulorum*, quibus Romani Imperatores

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0018
DFG

res ſolent hodie condecorari, per aliqualem imitationem, haud illepide accommodata; dummodo in lectores incidat, nullam ludibrii anſam exinde captaturos. Quod ſi *omnia Chriſtianorum dicta & facta* Chriſtum eiusque gloriam debeant referre: erit quoque in *Diſputationibus* Chriſtianorum, maxime *Theologicis*, (vt ſuo loco iam relinquam, quae a ICtis ad prooemium, quo Imper. IVSTINIANVS *Inſtitutiones* ſuas *Iuris* eſt exorſus, huc facientia afferuntur, inque publicis *inſtrumentis* ſiue requiruntur, ſiue vſurpantur, quae dummodo *caetera* ſint paria, itemque *affectatio* & *ſuperſtitio* abſit, improbare haud velim,) animus Chriſto deditus vbique comprobandus. Enimuero, *Aridus* eſt *omnis animi cibus, ſi oleo iſto non infunditur: inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas; non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum? Si diſputes aut conferas; non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus.* Ita BERNHARDVS ſerm. 43. in Cantic. quae vtinam Bernhardi ſenſu & affectu omnes haec verba repetentes ſua facerent.

Aphor. III.

Cum vero omnis cultus *externus* Seruatori noſtro verbis ritibusque ſiue exhibendus, ſiue exhibitus, vanus & inanis ſit, ſi *internus*, ad mentis cordisque penetralia pertinens, ab eo abſit; certe de hoc cura nobis debet eſſe praecipua: quae erit in eo maxime ponenda, vt Ieſus Chriſtus *vera fide*, per Spiritum Sanctum ex verbo Euangelii accenſa, cum *omni* ſuo *merito* ſalutariter a nobis apprehenſus, ipſo effectu fiat noſter, ſuaque proinde gratia totius meriti ſui fructum nobis conferat, eoque efficiat, vt *Chriſtianiſmus* noſter *Chriſtum* non tam *voce*, quam potius *re* ipſa, viuum in nobis atque efficacem referat, atque complectatur. *

* Praeſtantiſſimi Commentarii loco inſeruiet huic Aphoriſmo *Praefatio vere Theologica* B. LVTHERI, quae in Bibliis Germanice ab eo verſis, horumque editionibus maioribus, *Epiſtolae ad Romanos* legitur praemiſſa; & *ſummam* certe con-

re continet *Theologiae γνησίως Euangelicae* ac *Lutheranae*, dignaque proinde est, quam omnes veritatis Euangelicae amantes ante oculos inque animis habeant. Exploret hic igitur vnusquisque penetralia cordis sui: quale sit ipsius beneplacitum in Articulo de Christo? Quae sint vera & interiora ipsius desiderii? *Res ipsa enim* (inquit B. BRENTIVS) *declarat, nihil difficilius, nihilque rarius esse, quam IESVM, Filium Mariae, agnoscere pro Messia vero, & in ea fide in veris tentationibus perdurare.* Tom. I. in Iohann. fol. 111. Hac sine fide *nullo modo potest humana natura primi aut secundi praecepti* (s. *tabulae*) *opera facere.* Hac sine fide *non inuocat Deum, a Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quaerit humana praesidia, confidit humanis praesidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit: sine me nihil potestis facere,* Ioh. XV, 5. *Et Ecclesia canit: sine Tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.* Tam vere ac pie pronuntiat CONFESSIO nostra AVGVSTANA, Art. XX. circa finem. Pertinent huc inprimis, (praeter ipsius LVTHERI scripta, auro quouis cariora,) *Ioh.* ARNDTII nostratis didactico-paraenetici de *vero Christianismo* Libri, multorum manibus triti, paucorum vero cordibus infixi; nec non Historici, *Guil.* CAVEI & *Gottfridi* ARNOLDI, (quibus tamen, in facie illius efformanda, non idem omnino typus fuit, cum *sequiora* alter, alter *priora* magis Ecclesiae tempora respexerit,) de *Christianismo primaeuo* Commentarii; vt taceam *Aug.* BVCHNERI, *Frid.* SPANHEMII, & *Abasu.* FRITSCHII, Epanorthoticas aduersus *degenerem Christianismum* inuectiuas, aliorumque complurium ad scopum hunc collineantium labores, quos cel. BVDDEVS in *doctissimis Notis*, Institutionum Theol. Moralis textui adiectis, subinde allegauit.

Aphor. IV.

Neque tamen verendum est, ne, *Christi gloria* tantopere elata, *gloriae diuinae* quidquam derogetur: cum eadem sit *Christi* ac ipsius *Dei* gloria; nec Deo extra citraue Christum dignus satis acceptusue cultus possit ab hominibus praestari. *

* Videlicet, cum *Filius* & *Pater* vnum sint, Ioh. X. 30. vna quoque & eadem est *utriusque* gloria. Id quod clare docent sacra oracula, Ioh. *l.* 1. 2. 14. c. XIV. 7. sqq. c. XVII. 5. 22. Quod cum proterue inficiarentur Iudaei, Ioh. V. 18. ostendit ipse Christus l. c. commate 23. *Filium* aeque *ac Patrem esse honorandum, honorem-*

noremque Filio negatum Patri denegari. Idem docet alibi, perinde ac nemo possit accedere ad *Filium*, nisi *tractu Patris salutari*, Ioh. VI. 44. (de quo olim Praeside D. *Iohanne* SCHMIDIO, titulo *Magneticorum diuinorum*, docte disseruit *Ioh. Fridericus* HEILBRVNNERVS, Argentor. 1652.) sic quoque *nemini ad Patrem, nisi per Filium, aditum patere*, Ioh. XIV. 6. Quod etiam confirmat Paulus, Hebr. VII. 24. docetque proinde Eph. I. 6. non nisi per hunc *Dei carissimum* nos *gratos Deo acceptosque reddi*; quod sane etiam de *cultu Patri praestando* est pariter dicendum. Cultus vero, qui *Christo* aeque ac ipsi Deo exhibendus est, & olim Gentilibus ad *Christolatriam* Christianis exprobrandam, (de quo vid. B. KORTHOLTVS operis supra laudati L. II. c. VII.) occasionem praebuit; non respicit solummodo Ipsius *Diuinitatem*, sed totam potius *personam*, qua *Deus* & *Homo* est, & ita constat duabus Naturis in personali vnitate inter se coniunctis, vt *Christum Deum* si quis adorauerit, non possit non simul & *Christum Hominem* adorare. Quod argumentum, (contra haeresin *Nestorianam* Ephesini olim Concilii decretis stabilitum,) operose & ex instituto fuit tractatum in Dissertatione prolixa de *cultu Christi Hominis*, quae Praeside D. *Ioh.* MEISNERO, Defendente *M. Aegidio* STRAVCHIO, est Vitembergae quondam publice proposita; cui addi possunt, quae a *Christiano* NIPANIO in *Carolo Magno veritatis Euangelicae Confessore*, edito Francof. 1679. p. 663. sqq. in hanc rem sunt docte contra Pontificios prolata. Sed pluribus *huius Aphorismi* declarabitur veritas, cum infra SECT. II. de arctiori nexu, quo hic articulus de *Christo* respicit articulum de *Deo*, erit iusto loco disertius agendum.

Aphor. V.

Est vero is glorioſiſſimus Seruator noſter ita nobis h. l. praenoſcendus, vt qualis ſit ſecundum *Nomen*, qualisque ſit ſecundum *Rem*, diſertius quidem paulo, ſed tamen vel ſic, tantummodo ſummatim exponatur: quae *duo* huius notitiae momenta aut capita arctiori longe nexu, quam ſolet debetue in aliis fieri, in eius ſanctiſſima Perſona inter ſe cohaerent & conſpirant. *

* Quod propter Sophiſtas & contentioſos homines olim optaſſe dicitur GALENVS, vt *Res* poſſent tradi ſine *Nominibus*: id hoc quidem loco minime eſt

nobis expetendum; vbi *Nominis* & *Rei*, *signi* & *signati*, (in quibus duobus, teste vel ipso AVGVSTINO, L. I. de Doctr. Christ. c. 2. omnis vertitur doctrina,) tam suauis est consensus, & mutua inter se necessitudo, vt *Res* suo *Nomine* ostendi, & *Nomen* sua *Re* comprobari gaudeat; nihilque h. l. sit vel ψευδώνυμον vel ὁμώνυμον: eoque quam optime huc quadrent, quae PLATO de vsu Nominis dicit in Cratylo: Esse illud ὄργανον διδασκαλικὸν, καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας.

Hoc ipsum *Regius Psaltes*, spiritu prophetico actus, iam olim de Seruatore nostro satis emphatice expressit, Psalm. XLVIII. 11. כשמך אלהים כן תהלתך על קצוי ארץ quod LXX. κατὰ λέξιν & διάνοιαν ita commodissime reddiderunt: κατὰ τὸ ὄνομά σου, ὁ Θεὸς, οὕτως καὶ ἡ αἴνεσίς σου, ἐπὶ τὰ πέρατα τῆς γῆς: a quo & reliquae versiones omnes parum differunt. Et vero haec ad *Messiam* pertinere; certius adhuc ex Psalm. VIII. 2. intelligitur. Estque profecto aliquid singulare, quod *phrasi* ipsius *Christi* & *Apostolorum* fides atque salus nostra non tantum ad eius sanctissimam *personam*, sed quoque ad sanctissimum ipsius *nomen*, (loco *ipsius rei* veluti substitutum,) restringatur. Vid. Ioh. I. 12. c. III. 18. cap. XIV. 13. 14. cap. XX. 31. Actor. II. 21. 38. c. III. 16. c. IV. 12. in quo posteriori loco prorsus emphatice *persona* atque *nomen* coniunguntur; cum dicit Petrus, οὐκ εἶναι ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ τὴν σωτηρίαν, οὔτε ὄνομα εἶναι ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, τὸ δεδόμενον ἐν ἀνθρώποις, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι. Id quod non modo cit. loc. Actor. II. 21. collat. cum Rom. X. 13. sed etiam Matth. XII. 21. ex ipso V. T. illustratur; possetque pluribus V. T. locis confirmari; e quibus duo iam sufficiant insigniora, ex Prou. XVIII. 10. & Cantic. I. 2.

In qua *Rei Nominisque* καταλλαγῇ licet aliquid *Metonymiae* subsit, & *signum* pro *signato*, *nota* pro *notato* supponatur: est tamen hic aliqua plane singularis huius tropologiae ratio; in eo nempe sita, quod inter *nomen* atque *rem* sit prorsus excellens in Saluatore nostro conspiratio; volueritque praeterea Pater coelestis Filium suum *hoc ipso nomine* inter homines quam maxime honorari, quo ipsis fuit antehac quam maxime contemtus, atque exsecrabilis. Vid. Actor. IV. 10. 17. 18. collat. cum Philipp. II. 7-10. quae obseruatio poterit commode inseruire aduersus *Reformatos*, *aliosque*, (annis nos ideo excipientes, quod nomini IESV maiorem, quam aliis *Christi* aut ipsius *Dei* nominibus, reuerentiam exhibeamus. Quare etiam nec prius potest nobis *aduenire Regnum Christi*, quam *nomen Eius fuerit sanctificatum*: qui ordo quoque circa Deum precibus nostris compellandum ab ipso Christo praescribitur, Matth. VI. 9. 10. habetque plurimum profecto in recessu; cum impossibile sit, *Regnum Dei* inter Homines stabiliri, nisi id a *sanctificatione nominis diuini*, (in ipso quoque Decalogo

calogo sanctissime praecepta,) sua inter nos capiat primordia. Quo sane pertinet, quod & ipse Christus *nomen Patris sui* nunquam non *magni fecerit*, suisque *patefecerit*; ceu constat ex Ioh. V. 43. X. 25. XII. 28. XVII. 6. 11. 12. 26.

Neque vero dubitari potest, quin tanta, quae nomini Soteris nostri tribuuntur in sacris literis elogia, ad *superstitiosos* quoque & *magicos* abusus, (perinde ac factum fuit circa nomen Dei τετραγράμματον, שם המפורש s. *Schemhamphoraſch*, a *Cabbalistica Expositione* apud Iudaeos vocari solitum,) quibusdam ex accidenti praebuerint occasionem. Quo puriori mente atque sensu respexit AMBROSIVS, dum ait: *Habet* (Ecclesia) *Incantatorem suum Dominum IESVM, per quem Magorum incantantium carmina, & serpentum venena euacuauit.* Hex. L. IV. c. IX. Cuius quidem diuinae a *nomine Iesu* proficiscentis, & ad istam spuriam Magiam minime pertinentis efficaciae habemus sane luculentissimum in sacris literis ab ipso Saluatore *testimonium*, Marc. XVI. 17. sqq. *exemplis* etiam subinde confirmarum, Luc. X. 17. Actor. III. 6. 7. quos tamen extraordinarios effectus non tam ad *saluificam*, quam *miraculosam* fidem esse referendos, ex Luc. X. 19. 20. & c. IX. 49. 50. facile intelligitur. Sed recte iudicat *franc.* VALLESIVS, libri de sacra Philosophia c. III. circa finem, *sanctissimum nomen IESV, quod* sancte vsurpatum *sit ad omnia efficacissimum, vim eam non habere ex materia*, (suarum scil. *Literarum* atque *Syllabarum*,) sed potius *ex sua forma*, siue *ex ipsa re significata:* quae etiam communis Theologorum est sententia. Verum, qui *more Cabbalistico* etiam in *Literis* & *Syllabis* Nominis *Iesu* mysteria recondita existimant, idque praesertim cum nomine τετραγράμματῳ conuenire putant: ii fortasse etiam *materiae* eiusdem vim quandam singularem inesse sibi persuadebunt. Quod ideo tamen haud probauerim, cum vel hoc modo etiam literae aut syllabae cabbalistice expositae ad sua rursus *significata*, (quae certe magis ad *formam* pertinent, quam ad *materiam*,) referri debeant; nisi vel ipsis literis *in se spectatis* velit quis, pro diuersae *formationis* origine, naturalem quandam vim tribuere; quam tamen ad eiusmodi effectus esse sufficturam haud apparet: vt ideo cauendum sit, ne variis ingenii commentis nos deludi patiamur.

Esse de caetero inter *Cabbalisticas* Nominum Saluatoris nostri *expositiones*, textuumque sacrorum ad talia exinde eruenda *accommodationes*, eoque non tam ad *actiuam*, quam *contemplatiuam* Cabbalam referendas, inuenta & obseruata aliqua, haud prorsus contemnenda, saltemque κατ' ἄνθρωπον ad confundendos commouendosque Iudaeos, qui Cabbalistica magni aestimant, quandoque seruientia; agnoscunt (vt de REVCHLINO atque GALATINO, itemque PORCHETO & RAYMVNDO, a quibus Galatinus est sua mutuatus, nihil

 dicam,)

dicam,) e Theologis noſtratibus recentioribus, ac minime ſuſpectis, *D. Sal.* GLASSIVS *Philol. ſacr.* L. II. Part. I. Tract. II. Sect. III. Art. VII. & *D. Aug.* PFEIFFERVS in *Critic. ſacr.* c. VII. Sect. I. & II. ac ſpeciatim in Diſſ. de *nomine Ieſu* §. 19. 20. 21. vbi ſimul ad SENNERTI & SCHICKARDI prouocat conſenſum. Quam parum vero ad ἀπόδειξιν vere elencticam argumenta iſtiusmodi valeant: fatentibus iisdem doctiſſimis viris, patet quam maxime ex eo, quod Iudaei etiam aduerſus Chriſtum talibus vti queant; cuius exemplum praebent *duae voces* אלהי נכר, quibus, cum illae per *Gematriam* cum nomine ישו reddant eundem numerum 316, probare illi contendunt, quod & *Ieſus* noſter inter *Deos alienos* debeat referri, quorum cultus in Lege Moſaica ſit ipſis interdictus. Venit quoque hic in mentem *Adumbratio Kabbalae Chriſtianae*, id eſt, *Syncatabaſis Hebraizans*, ſ. *Breuis applicatio doctrinae Hebraeorum Cabbaliſticae ad Dogmata noui foederis, pro formanda Hypotheſi, ad conuerſionem Iudaeorum proficua*, quae Tom. II. Kabbalae Denudatae, Librum *Sohar* reſtitutum exhibente, Francof. 1684. a celebri huius operis Editore, (*Chriſt.* KNORRIO a *Roſenroth*,) in fine legitur annexa: ſed quae fere nimium vbique iudaizat, & continet doctrinas, quae *Chriſtianae* omnes dici haud merentur, quibusque ſuis Autor voluit inſeruire hypotheſibus.

Aphor. VI.

NOMINVM *Soteris noſtri* in S. Scriptura occurrentium, etſi ingens ſit copia & varietas, eoque & ampliſſimus recenſus: * certum tamen eſt, ex illis omnibus *duo* praeſertim, quibus vocatur IESVS CHRISTVS, ** *inſigniora* & *vſitatiora* eſſe, eiusque ſanctiſſimae perſonae & officio omnium maxime conuenientia; ideoque etiam haec *duo* exactiorem conſiderationem prae aliis mereri: quibus tamen vt IMMANVELIS *** nomen etiam accedat; ſingularis iubet ratio.

* Noti ſunt *Ioh.* SAGITTARII, *Ioh.* ROTHMAHLERI, *Herm.* RENNECKERI, *Ioh. Petr.* THVMBECKII, & aliorum, in *colligendis* & *explicandis* Soteris

teris nostri *Nominibus* iam olim praestiti labores: quos inter sunt, qui *ordine* quoque *alphabetico* eadem dispoſuerunt, vti fecerunt *Wilh.* ALARDVS im güldnen A. B. C. aller Nahmen Christi/ Lipſ. 1615. 4. & *Ioh. Casp.* SCHADIVS im geistl. Schatz-Kästlein der Kinder Gottes/ Lipſ. 1702. 12. Singulari vero diligentia pariter ac doctrina in argumento hoc versatus est *B. D. Sal.* GLASSIVS, cum in *Christologia Mosaica* atque *Dauidica*, tum speciatim in *Onomatologia Messiae Prophetica*, quae iuxta cum aliis ad Christum eiusque nomina spectantibus opusculis, cum *Glassii* tum *aliorum*, iunctim accurateque edidit *Thomas* CRENIVS, Lugd. Batau. 1700. 4. In dicta enim ista Onomatologia laudatissimus Autor *Nomina Saluatoris nostri*, non modo in *varias* digessit *classes*, suisque, quibus differant, *respectibus* distinxit, (quod nostro quoque tempore fecit cel. in Fridericiana Acad. Theologus, *Aug. Herm.* FRANCKIVS, in Opusculo insigni, cui titulus, Christus Kern der Heil. Schrifft/ edito Hal. 1702. 12.) sed quoque e *fontibus* suis docte exposuit, piisque *vsibus* accommodauit. Hos, si adire quis velit; nae is habebit, quo desiderio suo in hisce cognoscendis satisfaciet.

Vbi DVO tamen sunt, quae mihi videntur modeste hic monenda: ALTERVM, quod *distinctio* illa nominum *secundum classes* sit aliquando valde *difficilis* & *ambigua*; ALTERVM, quod *nomina* a *praedicatis* maiori cura debeant distingui, cum *praedicata* quaeuis non possint statim pro *nominibus* haberi; licet & *illa* possint *horum* loco quandoque vsurpari. Vtriusque moniti patebit ratio, si quis laudatissimorum Virorum syllabos onomatologicos curatius inspexerit, & inter se contulerit. In *Praedicatis* etiam *eiusmodi* reperiuntur quaedam per *tropologiam* dicta, aut quoque per *allegoricam* Scripturae *explicationem* huc accommodata: qualia copiose collegit *D. Ioh.* BOTTSACCVS, in *promtuario Allegoriarum sacrarum*, edito Francof. 1678. c. IX. quibus etiam aliqua extra Scripturam accersita, & minus huc pertinentia, saepe etiam haud satis commoda, admiscuit *Ioh.* STIEFLERVS, in *Locis Theologiae allegoricis*, editis Ien. 1682. 4. cap. III. Sed esse etiam in Biblicis Allegoriis caute procedendum: docet locus Matth. XXIV. 28. vbi mirum in modum variant interpretes; aliis *cadauer*, aliis *aquilam*, aliis *neutrum*, ad Christum adplicantes. Legi de loco hoc meretur *Oeconomia Iudicior. diuin. N. T.* Summe Reuer. Dn. D. MAII nostri, cap. XIX. p. 465. sqq. vbi explicationem huius loci maxime commodam proposuit, & *plures* e nostris citat *Viros doctos*, qui in commate hoc exponendo laudabilem operam recentissime posuerunt. Placetque de caetero obseruatio *Samuel.* BOCHARTI, qui *Hierozoici* P. II. L. II. c. II. col. 175. (nec non Part. I. L. I. c. III. col. 16.) verba Christi, (assentiente Dn. D. Maio

prouerbialiter accipienda,) contulit cum loco Iob. XXXIX. 30. quod obseruatu *adeo* dignum censuit *D. Gottfr.* OLEARIVS, Obseru. LXXIV. ad Euangel. Matth. quod posset sic constare, etiam *Iobi librum* esse ab ipso Christo in N.T. allegatum.

** Largissima nobis hic foret messis, nostrique horrei angustiam quam longissime excedens, si omnia illa, quae de *vtroque* Soteris *nomine*, (in scriptis *Patrum*, *Theologorumque* diuersae professionis aut *Systematibus*, aut *Commentariis*, aut *Homiliis*, aut *Dissertationibus scriptisue singularibus*,) habentur copiose aeque ac varie proposita, iam nobis comportanda essent. Sed missis illis de praesenti, quae ad *plenariam* huius argumenti *expositionem* pertinent, & passim iam sunt ab aliis exhibita; *pauculas* tantummodo *obseruationes*, Lectori fortasse non ingratas, minusue obuias, h. l. iam nobis liceat proponere.

In his erit, quod alterum ex istis duobus nominibus sit *proprium*, alterum veluti *appellatiuum*. Et ILLVD quidem de nomine *IESVS*, HOC autem de nomine *CHRISTVS*, existimo dicendum esse. Quae etsi nullius momenti aut vsus esse videatur obseruatio; ostendam tamen, *plura* ab ea dependere, consideratu haud indigna.

Videlicet cum *CHRISTI* nomen, etsi *Indiuiduum* quoddam *Subiectum* vbique respiciens, eoque *Substantiuum* magis, quam *Adiectiuum*, *Messiam* tamen a Prophetis promissum, antequam eorum vaticinia suum essent adepta complementum, respectu *notitiae humanae*, cui de persona non constabat, adhuc quodammodo *indeterminate*, & sine *actuali* ad certam personam *applicatione* designaret; *IESV* vero nomen personam nobis designet quam maxime *determinate* & *restricte*, cui *Messiae* diuinitus promissi, olimque adeo desiderati, *elogium* & *axioma*, tamquam vere iam exhibiti, nunc quoque a nobis *actualiter* sit applicandum; inque his *duobus*, vt Messiam in *hypothesi* pariter ac in *thesi* recte agnoscamus, omnis vertatur doctrinae de *Messia* cardo: potest exinde iam clarissime patere, cur in *quibusdam* Sacrae Scripturae *locis*, in quibus nempe *specialis ratio loquendi* duo haec distingui postulat, nomina IESVS & CHRISTVS ita inter se *distincte coniungantur*, vt alterum sit ὑποκείμενον, & stet loco *Subiecti*, alterum vero sit προσκείμενον, & *Praedicati* subeat locum.

Hinc in illustri loco Actor. II. 36. certo Petrus vult scire totam Israëlis Domum, quod τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, *hunc ipsum Iesum*, quem cruci affixerant, Κύριον καὶ Χριστὸν, *Dominum* & *Christum*, s. *Messiam* Deus constituerit. Legiturque Matth. I. 16. *Iesum* ex Maria natum, fuisse illum, qui *Christus* seu *Messias* diceretur. Et c. XVI. 20. commemoratur, *Iesum* Discipulis suis interdixisse, ne aliis

ne aliis intempestiue dicerent, ipsum esse *Christum* vel *Messiam*; a quo propalando etiam Daemones prohibuit, Luc. IV. 41. Eademque probe distinguebat scisitatio *summi Sacerdotis*, Matt. XXVI. 63. nec non *Herodis*, Matth. II. 4. vt & *eorum*, qui ex Iohanne Baptista, num ipse *Christus* esset, scisitabantur, Luc. III. 15. & Ioh. I. 19. 20. vt *caeterorum* id genus exempla taceam; qui omnes de Christo siue Messia *in thesi* satis certi, incerti tamen de eo erant in *hypothesi*, seu applicatione ad personam. *Vtriusque* vero *certitudinis* luculentissimum exemplum habemus in *Petro* caeterisque Apostolis, Ioh. VI. 68. 69. nec non in *Paulo*, Actor. IX. 22. Qualis contra certitudo adhuc desiderabatur in *proceribus Iudaeorum*, Ioh. VII. 26. At nullus fere clarior exstat locus, ad hanc assertionem nostram comprobandam, quam locus Ioh. IV. 25. 26. 29. vbi non solum hebraeum *Messiae* nomen graece redditur per *Christum*, quod factum quoque legimus Ioh. I. 42. sed & ipse *Iesus*, qui verus *Messias* s. *Christus* erat, ad mulieris Samaritanae de *Christo* venturo confessionem id ipsum *sibi* applicat. Quare etiam Iohannes, Euangelii sui c. XX. 31. & in Epist. I. c. IV. 2. 3. c. V. 1. ad fidei Christianae ὑσίαν atque δοκιμασίαν requirit vtrumque, vt *Iesum* confiteamur *Christum*, & *Christum* confiteamur *Iesum*: quia *neutrum* prodest sine *altero*; perinde, ac in Articulo de *DEO* non sufficit credere in Deum sub ratione *nominis appellatiui*, quale est אל vel אלוה, sed opus quoque est, credere in Deum sub ratione *nominis proprii*, quale est יהוה, soli Deo Israëlis competens & applicabile; ne sc. notio *Diuinitatis*, (ceu fit ab Idololatris,) indigno ac spurio Subiecto applicetur.

Quae *duo*, si olim *Cerinthus* haereticus nouisset rectius distinguere & combinare: diuortium certe inter *Iesum* & *Christum*, quo *Christum* dixit in *Iesum* baptizatum descendisse, a *Iesu* crucifixo autem *Christum* rursus auolasse, (quale ei ab IRENAEO L. I. c. 25. & EPIPHANIO, Haeres. XXVIII. c. 1. tribuitur,) profecto haud fecisset; quanquam vel is ipse eius error, (si huius *ansa* vel *occasio* profundius inspiciatur,) nostram sententiam quodammodo confirmet. Quae porro & ex eo lucem accipit, quod nomen *Christi*, secus ac nomen *Iesu*, etiam *Pseudo-Messiis* (de quibus B. *D. Dauid* CHRISTIANI in quatuor Disputationibus de *Messia*, olim in hac nostra Academia habitis, ac anno 1657. iunctim editis, Disp. III. docte & ex instituto egit,) per indignam eius applicationem, tribuatur, Matth. XXIV. 23. 24. id quod satis prodit rationem *nominis appellatiui*. Eademque non minus exinde etiam elucet, quod nomini *Hebraeo* משיח in *graeco* sermone sit substitutum *nomen appellatiuum graecum*, scil. Χριστὸς; nomen vero *Hebraeum* ישוע vel יהושע *graece* redditum per Ἰησοῦς, in tota fere Literarum suarum substantia tenerit seruatum?

rum, sicque in ipso *Graeco* sermone vsurpatum manserit *Hebraicum*; id quod *nominis proprii* haud obscurum est indicium, ceu patet ex nominibus Hebraeis, in Genealogia Christi Matth. I. & Luc. III. simili modo adseruatis. Et haec quidem est vera ac genuina ratio, cur saluatori nostro cum *Graecum* tum *Hebraeum* obtigerit nomen; quippe quae longe melior ac certior est, quam illa MARESII, in breui System. Theol. Loc. IX. §. IV. & *aliorum*; existimantium, latuisse in eo hoc mysterium, quod *Graeci* Gentiles fuerint cum *Hebraeis* seu Iudaeis per Christum coniungendi; licet nec hanc omnino velim improbare.

Ex eadem obseruatione poterit deduci, cur *Paulus* in Epist. ad Hebraeos, & veluti maiori cum affectu atque emphasi, nomen IESV etiam *solitarie positum*, (quale in caeteris Epistolis Apostolicis quam rarissime, saepissime vero ob eandem rationem in Historia Euangelica occurrit,) vsurparit: quia scil. in illa cum Iudaeis conuersis ipsi res erat; quorum fides in eo praesertim eluebat, quod iam non *Christum* modo, sed nunc *Iesum* quoque, caeteris Iudaeis tam exosum & contemtum, sed qui reuera tamen Christus erat, cognouissent; probante etiam hanc rationem *D. Thoma* ITTIGIO, in Exercitatione Theol. ad Hebr. II. 9. qua Paulinus in partem Psalmi VIII. Commentarius expenditur, Cap. II. §. XIV. quae legitur inter ipsius varia opuscula, edita Lipsiae 1714. 8.

Quo ipso tamen minime negamus, quin post Messiam ipso actu iam exhibitum, etiam *Christi* nomen, (quod, respectu *diuinae destinationis* atque *praenotionis*, iam *ab aeterno* soli IESV nostro competiit, eoque respectu, vt singulariter patet ex Dan. IX. prorsus *personale* fuit,) nunc quoque *in tempore* credentibus in ipsum sit prorsus *personale* redditum, sicque *proprii* veluti nominis induerit, *appellatiui* vero exuerit naturam; ideoque etiam in libris S. Scripturae N. T. modo *coniunctim* cum nomine *Iesu*, modo *seorsim* positum, saepissime vero tamquam ei prorsus aequipollens, cumque eo *promiscue* adhibitum, (nisi specialis ratio, vt in exemplis supra datis, expressiorem *vtriusque distinctionem* postulauerit,) reperiatur.

Meretur porro & illud hoc loco obseruari, quod, licet (recte docentibus Theologis) *vtrumque nomen*, si *applicatiue* & *concretiue* accipiatur, *totam* semper Seruatoris nostri *personam*, spectandam proinde secundum *vtramque naturam* personaliter *vnitam*, vere nobis designet; tamen in *abstractiua*, & *minus concretiua*, seu in *penitiori* proprietatum vtriusque nominis consideratione, *alterum* ad diuinam, *alterum* ad humanam eius naturam sit magis referendum. Et *prius* quidem de nomine IESVS, quod *saluantem* denotat, *posterius* de nomine CHRISTVS, quod *unctum* designat, erit asserendum: eo, quod *Homo*

in se

in se spectatus non possit dici *saluans*; & *Deus* in se spectatus non possit dici *vnctus*; licet *totus* ille noster Θεάνθρωπος, spectatus in *vtriusque naturae vnione personali*, rectissime & *saluans* & *vnctus* possit appellari.

Denique & hoc censemus obseruandum, quod, licet *vtrumque nomen*, Saluatoris nostri *officium* respiciat: tamen ALTERVM eorum, scil. IESV, magis ad officii *effectum* atque *fructum*, ALTERVM vero, scil. CHRISTI, magis ad officii *formam*, & praeuiam veluti *inaugurationem*, (quae vnctionem adeo sublimem h. l. sibi requirebat,) debeat referri: quorum *posterius* cum magis spectat ad *Messiam* in thesi, *prius* vero ad *Messiam* in hypothesi consideratum; apparet & his adductis rationibus, cur Nomen Seruatoris *appellatiuum*, magis ab officii *forma*, Nomen vero ipsius *proprium*, magis ab officii *fructu*, (qui totam Salutis Oeconomiam simul respicit,) Deo sapienter ita disponente, suam traxerit originem, & propriissimam denominationem. Vnde & ratio est in promtu, cur illi, qui in *contemplandis* Saluatoris nostri *Nominibus* versantur, plus circa Nomen *Iesu*, quam circa *Christi* nomen, laboris atque meditationis soleant insumere: *illud* nempe inter caetera omnia maxime emphaticum existimantes, amplissimosque exinde fructus deducentes. Quod mirum certe esse ei haud potest, qui digne expenderit, tam late quoad *fructus omnes* patere *Saluatoris nomen*, quam late *ipsa* patet per eum nobis parta *Salus*.

Specialius autem de *vtroque Nomine* dicturum, prohibet angustia praefenitis instituti: qua tamen non obstante, licebit adhuc sequentia paucula subiicere. Notum est, quam sit difficilis de *origine nominis IESV* Disputatio. Nobis illa sententia videtur maxime probabilis, quae non tam a nomine יֵשׁוּעַ quam יְהוֹשֻׁעַ quod, (*Dei salutem*, vel *Deum saluatorem*, vel quoque *illum*, *qui a Deo datus aut factus est in salutem*, quod cum grammatica forma magis conuenit, designans,) olim Summo cuidam Israëliticae gentis *Principi*, itemque Summo cuidam eiusdem *Sacerdoti*, (quorum *vterque* singulari prorsus ratione Seruatoris nostri *typus* existebat,) ex Ios. I. 1. sqq. Hagg. I. 1. 14. & Zach. III. 1. sqq. *proprium* fuisse nouimus. Cuius quidem asserti hae nobis sunt rationes: quod illud *posterius* nomen in versione graeca τῶν LXX. quae tempore nascentis Christi in populo Iudaico vsu erat recepta, constanter & vbique exprimitur per nomen Ἰησοῦς, Seruatori nostro, (teste Historia Euangelica, Matth. I. & Luc. I.) diuino iussu *ab Angelo* impositum; eoque *Typus* suo *Antitypo* clarius respondet; itemque & prius nomen reuera huic alteri includitur, ac Salus, quae a *Deo* per *Christum* nobis venit, hoc modo clarius exprimitur, cumque nomine *Immanuelis*, ab Esaia praedicto, sic nomen Ἰησοῦς facilius conciliatur, nec quidquam per id obstat, quo minus etiam in locis Genes. XLIX. 18. Psal. XCVIII. 3. aliisque simi-

libus, vocem ישועה, si *rem ipsam* spectemus, ad *Iesum nostrum* pertinere sit dicendum. Cui quidem sententiae haud leue pondus crediderim ex eo etiam accedere, quod non tantum nomen formae ישוע ex nomine יהושוע, (si v. g. locum Hag. I. 1. 14. & Zach. III. 1. contuleris cum Esdr. II. 2. & Nehem. VII. 7. viderisque, *vtramque formam*, de *vna eademque persona* vsurpatam, graece *vtrobique* exprimi per nomen Ἰησοῦς,) contractum fere sit existimandum; sed quoque nomen יהושע, siue *Iosuae*, in vtroque, quo occurrit N. T. loco, scil. Actor. VII. 45. & Ebr. IV. 8. in ipsa *Syriaca* versione atque lingua, per vocem, quae Syriace *Ieschu* sonat, sit expressa. Potuitque *Syriaca haec*, tempore Christi in Palaestina inter Iudaeos vsitata, concisius pronuntiandi consuetudo etiam ansam dedisse *Iudaeis* sequiorum temporum, vt nomen Saluatoris, ex odio & contemtu erga ipsum, omissa prorsus litera extrema ע, tantummodo abbreuiate ישו scriberent; cuius malitiae arcana plurima detexit *Ioh.* Buxtorfius, in libr. de *Abbreuiatur. Hebr.* sub hac ipsa voce; quocum, ob singulares quasdam huc pertinentes obseruationes, meretur etiam conferri *Christoph.* Cellarius, in Sylloge Programmat. varii argumenti, edita Lipsi. 1689. p. 50.

Quibus omnibus probe expensis, cadit iam sua sponte sententia illorum, qui *nomen IESVS*, (quod, si *Graece*, at secundum iam deducta minus adaequate, per Σωτῆρα vertas, in Sermone *Latino*, eò, quod vox *Saluator* non satis sit latina, vox *Seruator* non satis sit expressa, per vocem *Sospitator* commode reddi posse iudicat *Sam.* Maresius in Systema. at Cicero L. II. in Verrem. per *illum, qui salutem dedit*, optime περιφράζεται,) *ipsum esse nomen* יהוה, cum solo ש ex vocibus שילה vel איש ad *humanam naturam designandam* interpositio, existimant. Quam speciosam caeteroquin sententiam, (ab *Andr.* Osiandro in Harmon. Euangel. & *Seb.* Castellione in Annotat. ad Matth. I. olim defensam, sed solidis rationibus a *D. Aug.* Pfeiffero in Dissert. de nomine Iesu thes. 7. seqq. *aliisque* viris doctis improbatam,) exposuisse etiam hoc nostro tempore *Nicol.* Nierembergervm, Ecclesiasten Ratisbonensem, in Dissertationibus breuioribus duabus, quarum *altera* sistens *Tetragrammaton* יהוה anno 1701. *altera* exhibens *Pentagrammaton* יהשוה s. IESVS anno 1702. in publicum prodierit, docent *Nou. Liter. Hamburg.* ann. 1706. p. 40. Ab eadem vero ansam forsitan cepisse Ordinem IESVITICVM, vt in Insignibus suis nomen IESVS cum *adspiratione* per *tres characteres* I. H. S. imposita *cruce*, soleant exprimere: fere quis coniecerit ex iis, quae e *Iacobo* Fabro Stapulensi, (*adspirationis notam* post I. in nomine *IESV*, ob rationem ex nomine *tetragrammato* petitam, requirente,) itemque ex mente Hogostrati apud Galatinvm, huc facientia adduxit *B. Ioh.* Gerhardvs, in Exegel. LL. Theol.

Tom.

Tom. I. Loc. IV. c. 1. p. 1115. At vero respectu nominis יְהוֹשֻׁעַ hoc ipsum potuisse fieri, ex eodem *Iac. Fabro*, (qui certe ad id respexit,) comprobat *D. Pfeifferus* l. c. thes. 4. Quod si proinde *alterutro* modo aut respectu istud *Iesuiticum Insigne*, (de quo miror *Eliam* HASENMVLLERVM in Historia sua tacuisse,) adhibeat τὸ H. non pro Graeco *Eta*, sed potius pro *adspirationis charactere*: apparebit iam, quod olim proposita circa illud doctissima crisis elenctica, Viri hodie Summi, *D. Henrici* PIPPINGII, petita ex veteri *Ionica* scribendi ratione, in Exercitationibus Academ. Iuuenil. pag. 421. istam *Iesuiticam* scribendi rationem, (si ea vel maxime ad *Ionicam* reuocetur,) non tam euertat, quam stabiliat; etsi iam satis sit probabile, quod *Iesuitae* de hac quidem imitanda, suamque ex Graeco deriuanda, minus cogitauerint.

De nomine CHRISTVS autem, (quod olim a Gentilibus, originem & rationem eius ignorantibus, cum nomine *Chrestus*, SVETONIO aliisque testibus, confundebatur, & ratione significationis idem est cum Hebraeo מָשִׁיחַ,) cum inter omnes fere conueniat, *Vnctum* per vtrumque designari: addo tantum, quod id in Psalm. II. 2. XLV. 8. & Dan. IX. 25. 26. tanquam illustrioribus V.T. locis sit praecipue fundatum, & *in typo* respiciat *vnctionem* etiam *corporalem*, Sacerdotibus, Prophetis atque Regibus, in *fragrantiae* atque *virtutis* symbolum adhibitam, (quam si ex profanis quoque antiquitatibus quis illustrare vellet; ei docta & ampla *Andr. Christian.* ESCHENBACHII de *Vnctionibus Gentilium* Dissertatio plura fortasse poterit subministrare; cui addi possunt, quae de *Vnctione sacra*, cum *Sacerdotali*, tum *Regia*, ad Decretal. L. I. Tit. XV. docte obseruauit Vir cel. *Iust. Henning.* BOEHMERVS, in *iure Eccles.* ex *vsu Protestant.* p. 481. sqq.) in *antitypo* autem exprimat *vnctionem spiritualem*, quo Seruatori nostro *oleum Spiritus S. pretiosum*, ad ipsum excellentissimo titulo ac modo *Sacerdotem*, *Regem* & *Prophetam* totius humani generis constituendum, sine *mensura* est collatum.

De qua prorsus *sublimi* Seruatoris *vnctione* plurimae extant Theologorum commentationes; & dubium non est, quin *Christiani* quoque vere tales, (quorum *Biblica nomina* nuperrime congessit *Ioh. Martinus* SCHAMELIVS, edita Lipsiae 1712. 8.) *spiritualem suam*, qua Deus per *Christum* ipsos impertit, *vnctionem*, (quam *Paulus* OROSIVS, Hist. L. VI. c. XX. per *fontem olei*, qui teste EVSEBIO in Chronic. anno III. Imperii *Augusti Caesaris*, appropinquante tempore nascentis Christi, *Romae* dicitur *fluxisse*, praefiguratam haud adeo probabiliter existimauit; quamq; & *D. Ioh. Ernestus* GERHARDVS, Collega quondam noster p. m. doctissima dissertatione illustrauit,) eidem ferre debeant acceptam. Eandem quoque pluribus ac doctissimis obseruationibus illustrauit

cel. BVDDEVS; non modo in supra ad Aphor. I. laudata *Dissertatione* de *orig. vsu & dignit. nominis Christian.* §. XXI. sqq. sed etiam in *Meditatione Pentecostali* de *vnctione spirituali Christianorum*, quae legitur inter ipsius *Meditationes sacras* s. *Prolusiones festas*, p. 65. sqq. vbi ob *amplissimam observationum* ex apparatu rituali sacro huc spectantium *copiam* singulariter etiam commendat *Fortunati* SCACCHI *sacrorum elaeochrismatum myrothecia tria*, Amstelod. ann. 1701. recusa.

At *Christianos*, qui certe quidem, (tanquam *Membra*,) per *Christum*, (tanquam *Caput* suum,) vncti sunt, etiam ab *vnctione* Christianos dici; fortasse mirati quis posset, per *communem* fere, ipsorumque *Patrum quorundam* sententiam doceri: cum *Christianus* ἀκριβῶς loquendo dicatur potius a *Christo*, ideoque *vi nominis* sit ille, qui *Christi* est, (vt loquitur Paulus 1. Corinth. III. 23. Gal. III. 29.) siue, qui *cum Christo facit*, Matth. XII. 30. *eidemque adhaeret*, 1. Cor. VI. 17. h. e. qui *fidem Christi habet*, qui *Spiritu Christi operatur*, *Christumque imitatur*; ceu *Thomas* AQVINAS in summa Theol. P. II. part. 2. qu. 124. art. 5. in hanc fere rationem id expressit. Similique modo *Ioh. Amos.* COMENIVS, Libr. de *vno necessario*, c. IIX. §. 4. Christianum dicit *Discipulum* & *Imitatorem Christi*; qui scil. quod Christus docuit, *credit*; quod mandauit, *facit*; quod promisit, *sperat*. Circa quae verba *Aquinatis* & *Comenii* non habeo quod moneam; dummodo caueatur, ne eo accipiantur sensu, quo solent talia accipere *Sociniani*, & *alii* cum iis in eo facientes: quippe qui totum Christi munus tantummodo ad *Doctrinam* & *Exemplum* referunt; illud vero, quod h. l. *praecipuum* est, scil. quo *ipse Christus*, cum *toto suo merito* homini vere in eum credenti ad *iustificationis* & *sanctificationis* fructum longe vberrimum sese communicat, vel ignorantes vel repudiantes. Facit tamen de caetero ad communem de *Christianis ab vnctione dictis* sententiam commode tuendam, si *fundamentum* huius denominationis *immediatum*, quod ipse Christus est, (1. Cor. III. 11.) a *fundamento* illius *mediato*, quod vnctionis per Christum est collatio, (1. Ioh. II. 20.) curate distinguatur.

*** Nomen IMMANVELIS, (quod idem est, ac μεθ' ὑμῶν ὁ Θεὸς, *Nobiscum-Deus*, Matth. I. 23. & quo proinde sistitur nobis glorioſissimus ille noster ac salutifer Θεάνθρωπος, *DEVS-HOMO*, Θεὸς ἐν σαρκὶ, 1. Tim. III. 16.) quam sit *consolationis* & *aedificationis* plenum, neruose admodum ostenditur in Disput. ad maxime insignem de Christo V. T. locum Esa. c. VII. 14. de *Immanuele*, quae Praeside Theologo cel. *D. Paulo* ANTONIO, habita est Halae 1698. in qua p. 15. Porismati Practico secundo, *Si DEVS factus est NOBISCVM*,

CVM, aequum est, vt & nos simus CVM DEO, subiiciuntur elegantissima verba ex Autore, quem vocant, operis imperfecti: *Qui intelligit, quid sit Homo, non desperat de Deo; qui autem desperat de Deo, nescit, quid sit; quoniam Homo in Deo, & Deus in Homine est.* Maxima vero difficultas circa nomen hoc, (quod vere *nomen* esse, clarissime patet ex ipso loco citato *Iesaiae*, qui tot interpretes exercuit, collato cum eiusdem capitis commate 8) deprehenditur potissimum *in eo*, quod istud ab *Esaia* praedictum, vt Saluatori nostro nascenti imponendum, quam maxime differat ab illo *altero*, scil. a nomine IESVS, quod iussu diuino fuit ipsi ab *Angelo* impositum, sec. Matth. I. 20-25. Luc. I. 30. 31. Verum vti iam supra inter nomen IESVS, a יהושע deductum, & inter nomen IMMANVEL tentata secundum rem ipsam est conciliatio: ita posset & hoc modo difficultas ista fortasse superari, si distinguamus inter nomen *pii affectus*, diuinaeque *praenuntionis*, a *Matre Maria* datum, & inter alterum *ordinarii vsus*, diuinique *mandati*, a *Deo* per ministerium *Angeli* impositum. Nam *huic distinctioni* fere locum facit ipse Textus Hebraeus, in quo vox formae femininae ותקראת & *vocabit illa*, (agnoscente id ex Iudaeis ipso KIMCHIO ad h. l.) commodissime ad *Matrem Virginem* refertur, quam Filium huncce suum pro suo *Immanuele*, (nomine si non *externe expresso*, tamen *interne impresso*,) iam tum agnouisse, cum vterum adhuc gestaret; satis patet vel ex *ipsius Cantico*, Luc. I. 46. 47. collato cum eiusdem Capitis commate 30-38. licet nec hoc sit diffitendum, ex l. c. Lucae, si commata 31. & 32. ac 35. curatius inter se atque cum Luc. cap. II. 21. conferantur, haud obscure apparere, quod & *ipsa Maria*, Angeli iussu, nomen *Iesu* nato suo imposuerit, atque etiam *duo nomina IESVS & IMMANVEL* vel ab ipso Angelo, qui locum Esa VII. sine dubio respexit, (non quidem secundum *verbalem*, attamen secundum *realem* aequipollentiam, in supra proposita *nominis IESV derivatione* atque *significatione* planissime fundatam,) tanquam ἰσοδυναμοῦντα fuerint spectata.

Aphor. VII.

REM IPSAM, quae in *Sotere nostro* est consideranda, si iam velimus pariter spectare: amplissimus, qui nobis h. l. patet campus, est quidem *specialiori*, quae mox sequetur, *Sectioni* reseruandus. Meretur tamen interim hic annotari, quod, sicuti in quaestionibus, vel plane non, vel saltem haud adeo

vtilibus, etiam *nimia* hic potest esse humana *curiositas*: * ita, si *maxime vtilia* huc pertinentia spectare voluerimus, tum certe sit fatendum, sub *duobus capitibus* aut *titulis* insignioribus, PERSONAE scil. atque OFFICII, (quorum altero Seruatoris *Diuinitas* & *Humanitas*, altero triplex eiusdem speciale Munus, *Propheticum*, *Sacerdotale* atque *Regium*, praecipue continentur,) Theologos saltem *praecipua*, quae huius loci sunt, commode complecti; posseque caetera, quae *distincta ab vtroque* videantur, facile huc reuocari: ** De quibus tamen omnibus, iuxta ipsam *Sacram Scripturam*, pleniora & accuratiora *Theologorum Scripta* decenti modo erit proficuum conferre.***

* Posse *Curiositatem humanam*, etiam in hoc illustri & plane diuino argumento, conuenientes iustae inquisitionis limites diuersimode excedere: exemplo sunt, SCHOLASTICI, quando, *Brutis & Cucurbitis* stupidiores, quaerunt v. g. an potuisset quoque *Christus naturam alicuius Bruti*, *aut Cucurbitae assumere?* aliaque his similia; quibus multis in locis haud adeo sunt disparia, quae Disp. LXXX. de *Incarnatione diuini verbi*, autore *Didaco* ALVAREZIO sunt operose tractata & proposita. Et quidem *Scholasticae Theologiae vanitatem*, vti in *aliis*, ita etiam in *hoc articulo*, iam olim e nostratibus singulari libro per communes locos digessit *M. Ioh. Erasmus* SARCERIVS, edito Francof. 1541. 8. in quibus tamen sunt aliqua, perperam, vt videtur, intellecta. E.g. Quando per sententiam, *Christum habuisse temperantiam, non autem continentiam*, (quae absurdissima thesis videtur,) respexerunt Scholastici ad Doctrinam Ethicam Aristotelis: secundum quam *Continentia*, vt *Semi-Virtus*, a *Temperantia*, tanquam a *perfecta virtute*, haud incommode distinguitur. Audacem vero curiositatem *Hieronymi* CARDANI, qui more astrologico *Thema* Seruatoris nostri *Genethliacum* construere, & quaecunque Christo acciderunt ex

ex eodem deducere ausus fuit Commentar. in Ptolom. L. II. c. IX. textu LIV. praeter *Ioseph* SCALIGERVM in *Prolegom.* ad *Marci Manilii Astronomic.* etiam è nostratibus complures viri docti castigarunt. Sunt tamen & inter nostros, quos curiositati etiam in hisce nimium quis dixerit quandoque indulgere; quaerentes v. g. quo *Christi praeputium peruenerit?* quam quaestionem pro concione a celebri Theologo, non obiter, sed ex instituto, publice tractatam ipse memini: qualia quidem ζητήματα, si vel maxime praeter opinionem haberent aliquid singulare in recessu, coram imperito tamen vulgo, & sacrae concionis loco proponere, videtur haud consultum esse. De Saluatoris *tempore* & *loco* natali, de *vestitu* Messiae, deque aliis similibus argumentis, qualia apud VOSSIVM, CASAVBONVM, LIGHTFOOTVM, SPANHEMIVM, VOETIVM, ALIOSQVE, operose & erudite disputantur; videntur quidem, ob *Vaticiniorum complementa* exactius determinanda, propterque *alias rationes*, consideratu digniora esse. Veruntamen vt in his quoque ita sobrie versemur, ne vltra, quam fas est, hisce immoremur, & grauiora negligamus; omnino providendum est. Pertinet huc quodammodo elegans Praefatio, quam tractatui suo doctissimo de *Tunica Christi inconsutili* praemisit olim *D. Ioh. Georg.* DORSCHEVS ad *Dn. Georg. Wilh.* Comitem Palat. Rhen. vbi pulchre, & per plures comparationum articulos ostendit, quam iniqui & miseri sint Pontificii, qui *ipsum Dei verbum*, & *Christum eius Nucleum*, externe iactatis Christi & sanctorum variis *Reliquiis* diuersimode postponant.

** Ad *duo capita insigniora*, de Christi PERSONA & OFFICIO, totam de Christo *Pragmatologiam*, quinimo & *Onomatologiam*, a Theologis nostris reuocari: potest e *LL. Theolog. B. D.* GERHARDI, quem plures alii sequuntur, istorumque locorum *Exegesi*, inspicienti vnicuique facile patere. Quodnam vero ex duobus hisce vel *nobis* vel *natura* prius censeri debeat vel possit: de eo commode mentem suam declarauit *D. Phil. Iac.* SPENERVS in der aufrichtigen Vbereinstimmung mit der Augspurgischen Confession, Art. III. p. 161. §. 1. & 2. Sunt quoque ea, quae ad *Diuinitatem* & *Humanitatem* Christi demonstrandam pertinent, praeter CHEMNITIVM, aliosque veteres, ab eodem laudato *D. Gerhardo*, aliisque recentioribus, diligentissime tractata: in quibus respectu *Diuinitatis* Christi B. SPENERI opus praeclarum aduersus Socinianos, vt & *D. Christophori* FRANCKII breuis & liquida demonstratio, nec non M. *Ioh. Laurent.* PFEIFFERI de eodem Lipsiae 1709. proposita Disputatio Historico-Theologica, merentur commendari. Verum, quantae & circa *humanitatem Christi* sint vel controuersiae vel aberrationes, ex Disp. quae Praeside *Dn. D. Gottl.* VVERNSDORFIO habita fuit Vitemb. 1709. & *Christum*

ſtum ſiſtit *ſine Exemplo Hominem*, veluti ex indiculo aut breuiario ſummatim poterit cognoſci; foretque optandum, vt hoc quoque de *Humanitate Chriſti* argumentum maxime difficile a ſtrophis omnium peruerſe ſentientium eſſet aliquando plene ſolideque, debitaque cum diſtinctione, vindicatum. Caetera, quae ad externam Chriſti *Proſopographiam* pertinent, a *D. Thom.* ITTIGIO in Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. [illegible] II. Sect. I. docte ac diligenter ſunt tractata. Ad OFFICIVM Chriſti, quod *triplex* ſolet conſtitui, pertinet quoque inprimis MEDIATORIVM: id quod *late ſumtum* tria reliqua poteſt comprehendere; *ſtrictius* vero *acceptum* ſub *ſacerdotali* propriiſſime comprehenditur. *Mediatore* enim opus maxime habent illi, qui Deo irato ſunt *conciliandi*; id quod non *doctrina* & *regimine* efficitur, ſed *ſatisfactione*. Spectat igitur *Propheticum* Chriſti munus eo, vt *conciliandi* doceantur; *Regium* eo, vt *conciliati* regantur; *Sacerdotale* vero ad *conciliationem ipſam*. De STATIBVS, EFFECTIS, & ATTRIBVTIS Chriſti, ita ſentio, quod pendeant illa atque fluant ex conſideratione *Perſonae* & *Officii*: licet reſpectu aliquando *diuerſo* atque *inaequali*: vti v. gr. dubium non eſt, quin Status *Exinanitionis* ad officium Sacerdotale, Status vero *Exaltationis* ad officium eius Regium potiorem habeat reſpectum.

*** Inter SCRIPTA THEOLOGORVM, quae huius loci ſunt, refero ſpeciatim ea, in quibus Doctrina de *Chriſto* etiam ſeorſim, & extra Syſtemata tractatur: v. g. e ſcriptis Reformatorum, *Antonii* GARISSOLII tractatum quadripartitum de *Chriſto Redemptore*, Geneu. 1662. 4. e Noſtratium ſcriptis *Mart.* CHEMNITII Librum de *duabus Chriſti naturis*, harumque *vnione* & *communione*, Locis Theol. hodie annexum: *D. Balth.* MEISNERI *Chriſtologiam ſacram*, Vitemb. 1624. *Joſ.* STEGMANNI *Chriſtognoſiam*, Marpurg 1630. & plura aliorum, horumque *Diſſertationes* ac *minora Scripta*, propemodum innumera. *Caſp.* vero CALVOERII tractatus de *Gloria Chriſti*, edit. Lipſ. 1710. 4. (cui titulo reſpondet eiusd. Tractatus alter de *Gloria Moſis*, editque Lipſ. 1696. 4.) ad totam ſpectat Religionem Chriſtianam, aduerſus Iudaeos praeſertim vindicatam. Et vero pertinent huc ſuo modo omnes, qui *Religionis Chriſtianae veritatem* ſcriptis variis propoſuerunt: quorum notitiam fecit *Dn. D. Erneſt. Salom.* CYPRIANVS in Programmate, quod cum *Joh. Canuti* LENAEI libello de *Excell. Religionis Chriſtian.* 1701. Coburgi iunctim edidit; quocum meretur conferri docta eiusd. argumenti, & celebriores ex *recentioribus Scriptoribus* potiſſimum reſpiciens praefatio C. L. B. Cellis ſcripta 1713. & tractatui *Jac.* ABBADIE de *ver.* & *cert. Rel. Chriſtian.* e Gallico germanice reddito, eodem anno praemiſſa. Quorum tamen *vtriusque* recenſioni *plures* huc pertinentes *Scriptores* poſſe adhuc ſuperaddi; patet ex *ampliſſimo Catalogo*, quo Dn. D. *Joh. Albertus* FABRICIVS

in

in *Biblioth. Graec. Volumine septimo*, s. Libri V. Part. III. cap. VIII. pag. 96. sqq. *Scriptorum CCCC. amplius*, qui *veritatem Religionis Christianae* adu. *Atheos*, *Deistas* s. Naturalistas, *Idololatras*, *Iudaeos* & *Muhamedanos*, *asseruerunt*, (omissis ne quidem *deperditis*,) exhibuit notitiam; promittens quoque in *Praefatione* ad Lectorem, quod *nouam Centuriam* talium *Scriptorum*, vice supplementi, velit alio tempore & loco *prioribus* adiicere. In hoc autem genere Scriptorum insigne prae multis aliis elogium mereri Theologum celeb. quem Lipsia nuper amisit, *D. Gottfridum* OLEARIVM, (amicum quondam nostrum, cuius nunquam potest non maxime iucunda esse recordatio, a teneris familiarem,) in libro prorsus eleganti, cui tit. **JEsus der wahre Messias / ein köstlicher Eckstein/ und Felß der Aergerniß /** edit. Lipsi. 1714. 8. ab omnibus digne eum legentibus haud praeter rationem iudicatur. Quorum omnium Virorum doctissimorum labores, vt ad *aedificationem* & *salutem animae* tanto maiori cura referantur: erit omnino operae pretium, vt quoquesupra laudati *Ahasu.* FRITSCHII & *Aug. Herm.* FRANCKII, nec non *D. Henrici* MVLLERI, & *aliorum* τῇ ἀγάπῃ τῦ Χριςῦ συνεχομένων, Scripta dogmatico-paraenetica lectissima, in quibus de *cognitione & amore Christi salutari* ad *practicos* maxime *vsus* agitur, sint nobis commendati.

Aphor. VIII.

Compendium quoddam *Nominalis* atque *Realis* de Saluatore nostro *Cognitionis* praebuit antiquis Ecclesiae Doctoribus & Christianis *vox Symbolica* IXΘΥΣ: * de qua *piae* ipsorum *meditationes* sunt commemoratu h. l. non indignae. **

* Occasionem voci huic *Symbolicae* (PISCEM alias significanti,) praebuit celebris illa Acrostichis *Sibyllae Erythraeae*, vel, (quod teste Augustino. l. 18. de Ciu. D. c. 23. quibusdam magis placet,) *Cumanae*: quae *literis* quorundam versuum *initialibus* aut *capitalibus* exhibet *voces* sequentes: Ἰησῦς Χριςὸς Θεῦ Υἱὸς Σωτὴρ· quarum si denuo colligas *initiales literas*; apparebit, quod illa vox Ἰχθὺς exinde prodeat. Legitur hoc carmen Sibyllinum apud EVSEBIVM, L. V. de *vita Constantini*, siue, vt alii citant, ἐν τῷ λόγῳ βασιλικῷ, s. in *oratione Constantini* ad *Sanctorum coetum*, apud Eusebium, post *Constantini vitam*; creditvrque, & ipsum CICERONEM L. II. de Diuinat. c. 54. (vbi Sibyllina Acrosticha memorat,)

carminis istius meminisse; id quod ex ipsis Constantini verbis voluit probare *Iac.* MARTINI Exercit. Metaphysicar. L. II. Theor. IX. vb & ipsam illam Acrostichidem ex Eusebio producit, & plura alia affert huc pertinentia, in opere hoc Metaphysic. non facile quaerenda; prouocans quoque singulariter ad AVGVSTINVM L. 18. de Ciuitate Dei c. 23. qui locus expendi vtique meretur. *Ibid.* trahit quoque, (cum *Augustino* denuo facturus,) ad Christum, celebrem VIRGILII *Eclogam quartam*: quam tamen ad Christum minus pertinere, integra oratione contra *Eusebium* voluit probatum dare *Aug.* BVCHNERVS; quae legitur inter caeteras ipsius Dissert. Acad. num. 707. Caeterum, etsi *Carmina Sibyllina* non eadem apud omnes autoritate valeant: certum tamen est, multum priscae Ecclesiae Patres & homines Christianos iisdem tribuisse: quam in rem euolui meretur Bibliotheca Patrum Apostolicorum *Io. Baptist.* COTELERII, ex edit. Nou. Antuerp. (reuera Amstelodamens.) *Ioh.* CLERICI, de ann. 1698. Volum. II. in Syntagmate s. collectione variorum Tractatuum, quorum loca huc pertinentia subiectus operi Index Alphabeticus monstrabit.

** *Piae*, quas dixi, *Meditationes* de voce illa Symbolica ἰχθὺς non omnes eiusdem sunt tenoris. Ad Christum ipsum refert eam AVGVSTINVS, loco supra citato, ex Libr. XVIII. de Ciu. Dei, c. 23. vbi *Christum* ait per illam *mystice intelligi*; eo, quod *in huius mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate viuus, h. e. sine peccato, esse potuerit.* Idemque facit PROSPER *Aquitanus* de praedictionibus P. II. c. 39. vbi *Christum* vocat *satiantem ex se ipso in litore Discipulos, & toti se offerentem mundo* ἰχθὺν; vtpote *piscem in sua passione decoctum, cuius ex interioribus remediis, quotidie illuminemur, & pascamur.* Sic quoque OPTATVS *Mileuit.* L. III. contra Parmenian. *Christum* ait esse *piscem, in baptismate per inuocationem fontalibus vndis insertum*, vt, *quae aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocetur*; *cuius piscis nomen, secundum appellationem graecam, in vno nomine, per singulas literas, turbam sanctorum nominum contineat.* Ad Christianos vero, iisque oppositos haereticos baptismi contemtores, pereleganter applicat TERTVLLIANVS, de Baptism. c. I. vbi dicit: Nuper *conuersata istic quaedam de Caiana Haeresi vipera venenatissima, doctrina sua plerosque rapuit; inprimis baptismum destruens; plane secundum suam naturam: nam fere viperae & aspides, ipsius reguli serpentes, arida & inaquosa sectantur. Sednos pisciculi secundum* ἰχθὺν *nostrum Iesum Christum in aqua nascimur; nec aliter quam in aqua permanendo, salui sumus.* Et huc quoque alluxit HIERONYMVS Epist. XLIII. *Bonosus*, inquit. *tanquam* ἰχθύος *filius, aquosa petit.* Conf. doctissimas *Leonh.* COMMELINI notas, ad *Augustinum* de Ciuitate Dei, loco supra citato.

SECTIO

SECTIO SECVNDA,
HVIC TRACTATIONI SPECIALIS:
qua agitur
De iis, quae Titulo praesentis Dissertationis speciatim sunt expressa.

CAPVT I.
De IESV CHRISTO, spectato vt Antiquissimo & Nouissimo Theologico.

Aphor. 1.

SIngulare est elogium, quod *Literato ad Regnum coelorum edocto*, Matth. XIII. 52. tribuit Saluator noster: quando similem eum esse ait homini patrifamilias, qui suo ex Thesauro seu promtuario *recentia* & *vetera* depromit.* Quae verba secundum intentionem proferentis spectata, licet ad *diuersam* suo modo *noui*

priscique

priscique foederis *doctrinam* rectissime, ab Interpretum plerisque referantur: ** Licebit tamen nobis hoc loco, ad *ipsum IESVM CHRISTVM*, Scripturae ac Doctrinae *vtriusque* Testamenti *Scopum*, ipso haud inuito, eadem referre; ipsumque proinde, in Regni coelestis Oeconomia pariter ac Disciplina, vt *Antiquissimum* aeque ac *Nouissimum*, (sed *respectu* tamen *diversimodo*,) spectare.***

* Nomen γραμματέως, (quo vtitur hoc loco Christus, quodque, si *propriissimam* eiusdem *significationem* spectes *secundum vocem*, non tam per *Scribam*, quam potius per *Scripturarium*, aut si latinius efferre velis, per *Literatum*, videtur exprimendum,) in applicatione ad *Ecclesiam Iudaicam*, (sique illud proinde non tam in *politico* quam *ecclesiastico* accipiatur sensu,) designat eiusmodi *hominem doctum*, cuius studium circa γράμματα τὰ ἱερά, h. e. circa *literas sacras* harumque vel *Textum ipsum*, vel *expositiones textuales*, praecipue. & ita versabatur, vt *earum peritia excellens* ipsi vel *reuera* inesset, vel saltem inesse *crederetur*: ceu huius vocis significatio non modo ex hoc ipso loco, sed quoque ex locis Matth. II. 4. c. XVII. 10. c. XXIII. 2. aliisque similibus, collat. cum Ioh. VII. 15. Act. V. 34. c. XXII. 3. 2. Tim. III. 15. euidentissime apparet. Idque genus hominum, (qui hebraice סופרים appellabantur,) erat apud Iudaeos *maxima autoritate* pollens, eratque aetate Christi *inter PHARISAEOS maxime conspicuum*: quae ratio est, quod apud *Matthaeum* toto capite XXIII. & pluribus aliis *Historiae Euangelicae* locis, οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, tamquam *Coniugata* maxime *consueta* coniungantur. Est vero hic monendum, quod non tam *Personae* quam *Respectus* diuersitate *haec duo* in locis istis debeant distingui. Eaedem enim *Personae* diuerso *Respectu* & γραμματεῖς & Φαρισαῖοι appellantur: *ILLVD* scil. ratione *officii*; *HOC* autem ratione *SECTAE* trahentes nomen.

Vbi tamen adhuc obiter merentur fortasse quaedam annotari, quae deprehendo ab aliis non aeque obseruata, & sapientiorum iudicio submitto exactius inuestiganda. Scilicet *non omnes* Pharisaei fuerunt γραμματεῖς; sed tantum *aliqui*. Videntur enim mihi *PHARISAEI*, (& quidem *doctiores*,) in γραμματεῖς & νομικὸς, h. e. in *Literarum* & *Legum* peritos esse distinguendi.

ILLORVM

ILLORVM Studium erat magis *Dogmaticum* & *Theoreticum*, eoque circa *ſpeculationes* & *doctrinas* occupatum: *HORVM* vero erat magis *Pragmaticum* & *Practicum*, eoque circa *actiones* & *leges* verſari ſolitum. Et quia in *Theoria* potior *Scripturae diuinae*, in *Praxi* autem potior *Traditionis humanae* reſpectus apud eosdem habebatur: hinc quoque οἱ γραμματεῖς magis circa *literas diuinas*, οἱ νομικοὶ autem magis circa *leges humanas* verſabantur. Pateſcit id haud obſcure ex Luc. cap. XI. vbi, (ſi ipſe Textus authenticus inſpiciatur,) τὲς Νομικὲς, (quorum *nomen* & *character* graphice exprimuntur commate 45. & 46.) per emphaſin particulae καὶ, (praeſertim a *Dan.* FESSELIO Aduerſar. Sacr. L. I. c. I. §. 10. neruoſe ad h. l. declaratam, nec non a DRVSIO, HEINSIO, aliisque obſeruatam,) ἀ τοῖς Γραμματεῦσι, (quorum *nomen* & *character* graphice exprimuntur commare 52. & 53.) videamus clariſſime diſtingui: quorum *vtrosque* tamen ſub *Phariſaeis* fuiſſe comprehenſos, colligi datur ex commat. 37. & ſequentibus omnibus; poteſtque etiam confirmari ex loco Matth. XXII. 34. 35. licet ὁ νομικὸς de *Lege diuina* ibi quaerat; quod fieri potuiſſe, per ſuperius aſſerta, (in ſenſu *comparatiuo*, non autem *excluſiuo* expreſſa,) haud negamus. Huius rei vidit aliquid cl. HOTTINGERVS in *Nota* ſub num. 9. ad *Goodvvini* Moſen & Aaron. L. I. c. VI. §. XVI. p. 119. dicens: *eosdem* ferme cum γραμματεῦσι eſſe τὲς νομικὲς, veruntamen *non prorſus eosdem*: id quod ideo eum exiſtimo addidiſſe, quod in nota ſub num. 7. ad Goodvvini L. I. c. VI. §. XIV. p. 116. eoque paulo ante, Vir doctiſſimus veriſſime docuerat, τὲς γραμματεῖς partim *Phariſaeos* partim *Sadducaeos* extitiſſe; citans in huius rei fidem locum Act. XXIII. 9. vbi οἱ γραμματεῖς, qui erant *partis Phariſaeorum*, ab illis, qui erant *Partis Sadducaeorum*, ſatis aperte diſtinguuntur: quod noſtrae tamen ſententiae non obſtat. Nam ſicuti οἱ γραμματεῖς in *Phariſaeos* ac *Sadducaeos* poterant diſtingui; ſic quoque οἱ Φαρισαῖοι in γραμματεῖς & νομικὲς diſtingui poterant. Ex his autem, num tantum *priores*, non vero *poſteriores*, (vt ipſe cit. loco videtur aſſerere,) *Synedrii* ſint *membra* conſtituta; aliis inueſtigandum iam relinquo: cum poſſit hoc, (ſi munus τῶν νομικῶν ſpectetur,) adhuc dubium videri. Quod ſi fortaſſe quaeretes, quomodo οἱ γραμματεῖς cum *Phariſaeis* facientes, ab illis, qui cum *Sadduceis* faciebant, debeant *ſpecialiter* diſtingui? Exiſtimauerim, *hanc* poſſe inter *vtrosque* conſtitui *ſpecialem differentiam*, quod *hi poſteriores* fuerint *Scripturarii pure textuales*, eoque & *Karaitarum* ſortiti nomen; *priores* autem *illi* ſimul admiſerint *humanas Expoſitiones* ac *Traditiones*; id quod *omnibus Phariſaeis*, (ſed τοῖς νομικοῖς tamen magis, quam τοῖς γραμματεῦσι,) erat *familiare* atque *proprium*; vt conſtat ex Matth. XV. 3. 6. Patet porro ex hiſce diligenter inter ſe collatis, quod

locus celebris ex *Talmude Hierosolymitan.* Tit. Megilla, Fol. 73. col. 4. citari solitus, (quo constat, in vnaquaque *Synagoga* Hierosolymitana, quarum CCCCLXXX. numerabantur, *duas* olim fuisse constitutas *Domus*, s. *Collegia*, quarum *VNA* בית ספר s. *Domus Libri*, ad *scripturam* s. *legem scriptam*, *ALTERA* בית תלמוד s. *Domus Disciplinae*, ad *Traditionem* s. *legem oralem* fuisset ordinata,) non statim debeat efficere, vt differentia ista inter Domos *Scripturae* & *Traditionis* cum differentia praesente inter γραμματεῖς & νομικὸς, aut prorsus identificetur, aut saltem confundatur: cum οἱ Νομικοὶ, (qui Iudaeorum videntur *Iureconsulti practici* & *forenses* extitisse, quorumque proinde nomen in N. T. multo parcius occurrit,) fortasse *ad Synagogam* plane non sint referendi; eoque fieri potuerit, vt ex aduerso οἱ τῶν γραμματέων, ad *Synagogam* maiori iure pertinentium, ALII magis circa *ipsum* textum *Scripturae diuinae*, ALII vero magis circa *Commentationem textualem humanam*, sese occupauerint. Vnde iam mirari subit, quid GOODVVINVM induxerit, quod in supra citato §. XVI. L. I. c. VI. τοῖς νομικοῖς adscripserit, ac si illi quidem *soli verbo scripto*, seu *S. Scripturae*, adhaeserint; nisi haec ipsius sententia, (a cel. quoque HOTTINGERO c. I. quodammodo notata,) ex eo videatur nata esse, quod νομικὸς & γραμματεῖς perperam pro synonymis habuerit; confundens scil. νομικὸς & νομοδιδασκάλους, quae voces *idem* significasse mihi haud videntur. Nam νομοδιδάσκαλοι, seu *Legis Doctores*, iidem erant ac γραμματεῖς, (vid. Actor. V. 34.) collat. cum Luc. V. 17.) & versabantur circa τὸν νόμον, h. e. circa *Legem Dei*, quae תורה s. *Lex absolute* apud Iudaeos appellatur: ast οἱ νομικοὶ, seu *Legum periti*, versabantur circa τὸς νόμους, h. e. *circa Leges humanas*, quae דתים aut חוקים potius, h. e. *Decreta* vel *Statuta*, solebant appellari. Quod tamen *non exclusiue prorsus* esse accipiendum; iam supra ad locum Matth. XXII. 34. 35. declaraui: concedens etiam, quod nomen τῦ νομικῦ, (si *citra oppositionem* ad nomen τῦ γραμματέως in se ipso spectetur,) posse interdum accipi *generaliter*, pro eo, qui circa *Legem quamcunque*, (siue *diuinam*, siue *humanam*,) occupatur: quo sensu & significatu Luc. VII. 30. esse positum existimauerim.

Quantacunque vero esset τῶν γραμματέων Iudaicorum vel de seipsis *persuasio*, vel apud alios *existimatio*: voluit tamen Christus in *verbis* supra *adductis* declarare, quod ipsis *praecipuum* veri τῦ γραμματέως *Elogium* deesset, vt qui non essent ad *Regnum coelorum edocti*, sed tantummodo in *cortice sacrarum literarum* sese occupantes, *scripturae nucleum* negligerent, eoque *veri* ac *genuini* γραμματέως ἐξουσίᾳ destituti, (de qua vid. Matth. VII. 29.) τὸ *salutare Dei*, ad quod S. Scriptura data esset, minime assequerentur. (vid. Matth. XIII. 11. 12. 13. sqq.)

** Ve-

** Verum itaque γραμματέα, qui ad *Coelorum Regnum* sit *edoctus*, cum nobis Saluator voluit describere: comparauit eum cum *homine patrefamilias*, qui frugum prouentuumque *veterum* ac *recentium* tali quandoque vtitur *dispensatione*, vt *veteres*, tanquam *viliores*, suo famulitio, *recentes* autem, tanquam *nobiliores*, suis liberis atque amicis, aliisque cariorib⁹ personis praebeat vescendas. Vnde iam facilis erit ad talem, *qualem* Christus describit, γραμματέα applicatio: qui, *Christi nempe exemplo*, rude ac ad coelestia minus praeparatum *Vulgus* docet *antiquo* V. T. *more*, per variarum *parabolarum* inuolucra: *Discipulis* autem *suis*, tanquam iam magis idoneis, *nouissimo* N. T. *more*, arcana Regni coelorum *clarius*, & in *ipsa sua* veluti *substantia* reuelat; *illis* item, qui cum Iudaeis vnice pascuntur ἐν παλαιότητι γράμματος, *s. Vetustate Literae*, coelestem cibum, (vt tanto magis sec. Matth. XIII. 12. sqq. ἀυτοκατάκριτοι reddantur,) ad ipsorum accommodat palatum; *caeteros* autem, qui magis sunt *idonei*, pascit ἐν καινότητι πνεύματος, *s. nouitate Spiritus*, vt Paulus Rom. VII. 6. *haec duo* satis emphatice distinxit. Id quod etiam THEOPHYLACTVM, EVTHYMIVM, aliosque e Patribus, (quos plures e nostris quoque Theologis sequuntur,) videtur permouisse, vt ad *veteris nouique foederis* doctrinam, (*substantia* quidem vtrobique *eandem*, sed *Oeconomia* tamen *diuersam*,) haec verba Christi applicauerint: potuitque & ipsos, ad hoc faciendum, locus Ierem. XXXI. 31. 32. 33. 34. collat. cum Hebr. VIII. 8. sqq. nec non locus Matth. IX. 17. (vbi *doctrina Euangelii*, de qua B. LVTHERVS, si recte memini, haec verba est solitus accipere, aut quoque, quae est Magnif. Dn. PRAESIDIS maxime commoda sententia, *omne*, quod est ex Christo, *nouum*, ad *veteremque hominem non quadraus*, hoc Christi effato assimilatur *vino nouo*, quod *vtres veteres* capere non possint,) facile & recte induxisse. Quod licet hodie post abrogatum foedus priscum non amplius videtur locum habere: notandum tamen, non omnes, qui in *tempore noui foederis* sunt constituti, etiam in *gratia eiusdem* ex aequo constitutos deprehendi: licet haec, (iam olim *in baptismo* pluribus collata,) omnibus omnino pateat; dummodo sacrum *Euangelii verbum*, (quod incorrupte dispensatum est δύναμις τοῦ Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, Rom. I. 16.) omnes in se digne velint admittere. Quare nec ita accipi haec volumus, ac si *Doctrina Christiana*, (quae *spiritualis* certe magis est, quam *literalis*,) ad modum, quem *legalis*, *literalis* & *schematica* prisci foederis *oeconomia* speciali quadam ratione exigebat, esset adhuc hodie *pariter* tractanda; cum doleamus potius, id contra *indolem N. T.* (non γράμματος sed πνεύματος διακονίαν (c. 2. Cor. III. 6. *sibi postulantis*,) plus, quam fas est, inter Christianos fieri; non intelligentes nempe, quomodo τὰ παλαιὰ, secundum Leuit. XXVI. 10. ἐκ προσώπων νέων, quo Deus in *Christo* nos beauit, submoueri deceat: sed loquimur tantum

rum de *aliquali*, (quae a *dissimulatione*, Matth. XXII. 16. ab ipsis Pharisaeis improbata, quam longissime differt,) eiusdem *accommodatione* ad *hominum* vel in ipsa Christiana Ecclesia adhuc nimis proh dolor *iudaizantium*, & *Christianissimum pure literalem* consectantium, palatum atque captum; quippe quae etiam Doctoribus ad Regnum coelorum vere eruditis vsu quodammodo est *necessaria*, & ab ipso Christo, (praesertim, si *totius capitis* (pectetur cohaerentia,) ipsis in hoc loco fuit *commendata* atque *commonstrata*.

*** Quod vero & *ipse* IESVS CHRISTVS, (siue *vetera* siue *noua* ex suo thesauro promat ad Regnum coelorum digne edoctus literatus,) pro ANTIQVISSIMO & NOVISSIMO *coelestis Doctrinae* haberi possit atque debeat: id quidem ex eo satis elucere puto, quod ipse, in V.T. *promissus & praefiguratus*, in N.T. autem *exhibitus* ac *declaratus* humani generis Redemtor, *vtramque* in vtriusque foederis Scriptura faciat *paginam*. Quo fine dubio respexit *Paulus* in illustri oraculo Hebr. XIII. 8. Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Quae verba in eleganti sua paraphrasi optime in hunc modum exponit *Vener. Dn.* D. MAIVS noster: *IESVS CHRISTVS idem fuit HERI, sub V.T. ac praeteritis seculis, in quem Patres sperarunt, & in quo saluati sunt; & est idem HODIE sub N.T. nihil prorsus mutatus ab eo, qui fuit in V.T. nec alius praedicatus ab Euangelistis & Apostolis, nisi quod in assumta carne apparuerit, & Redemtionis opus, tantopere a veteribus desideratam, impleuerit, secundum Gal. IV. 4. eritque idem in FVTVRA secula, & aeternitates.* Quod ipsum Vir doctissimus etiam confirmat ex *nomine* יהוה Saluatori nostro competente, atque, secundum obseruationes Grammaticorum, etiam per ipsam vim significatiuam suarum literarum, *praesens praeteritum & futurum* designante. Pertinetque huc inprimis elegantissima & profunde docta Dissertatio *B. D.* GERHARDI nostri, ann. 1702. in hac Acad. publice proposita, & *perennitatem foederis gratiae ex Actor. XV. 11. per singulas Foederum oeconomias demonstratam sistens*: cuius scopus est ostendere, quod in *triplici Dei Oeconomia* in Ecclesia, scil. *ANTE legem, SVB lege, & POST legem*, haud alia ratio *Iustificationis* aut *Saluationis nostrae* obtinuerit, quam *per gratiam Domini nostri IESV CHRISTI*; vbi etiam rectissime monetur, a *diuersa* foederis gratiae *oeconomia* ad *diuersitatem* ipsius *foederis* consequentiam minime valere. Cui etiam merito iungo *Eiusdem* in Ecclesiastico & Academico munere Successoris celeberrimi, Vener. Dn. D. RVDIGERI nostri, Dissertationem Inaug. doctissimam, ann. 1707. publice propositam, & ex Genes. XV. 6. de *Iustificatione Abrahami* agentem, pariterque ostendentem, *fidem illam*, qua *Abrahamus*, iustitiam est coram Deo consecutus, *a fide*, qua *omnes Christiani* per *Christum* eam consequuntur, haud differe:

differre: id quod & olim in hac ipsa Academia B. D. CHRISTIANI in ampla Dissertatione, de Ἰσοτιμίᾳ *Fidei fidelium V. & N. T.* commode inscripta, egregie probauit. Et sicuti proinde IESVS noster ratione temporis *praeteriti* praebet nobis *Antiquissimum Theologicum*: ita *Nouissimum Theologicū* nobis praebet idem ratione temporis *praesentis & futuri*; nisi quod de *praesenti*, habeamus in ipso Nouissimum, quo *fruimur*, & de *futuro*, Nouissimum, quo *fruemur*. Id quod ideo monendum duxi, vt hoc modo appareat, quomodo *Apostolicus Ternarius* c. l. Hebr. XIII. 8. propositus, cum *nostro* Nouissimi & Antiquissimi *Binario* possit quam optime conciliari. Quomodo vero IESVS noster queat etiam PLVRIBVS RESPECTIBVS pro ANTIQVISSIMO vel NOVISSIMO *Theologico* haberi: id quidem per *Aphorismos sequentes* pluribus iam nobis erit declarandum.

Aphor. II.

Antiquissimi Theologici denominationem, Saluator noster IESVS CHRISTVS admittit rationibus, (quarum aliquae *Ipsius*, aliquae *Fidelium*, aliquae *vtroque*, aut *alio* etiam respectu, Ei competunt,) sequentibus: 1.) Ratione *Essentiae* & *Existentiae*; 2.) ratione *Veritatis*; 3.) ratione *Consilii* aeterni; 4.) ratione *Promissionis*; 5.) ratione *Praefigurationis*; 6.) ratione *Prolusionis*; 7.) ratione *Exspectationis*; 8.) ratione *Exhibitionis*; 9.) ratione *Praedicationis*, saluificaeque *Acceptationis*; 10.) ratione beatificae, quo fideles ipsius fruuntur, cum Ipso *Conuersationis*. Vt taceam *respectus quosdam* a propositis hisce *alienos*; de quibus infra seorsim erit aliquid dicendum. *

* Quam amplus ad huius Aphorismi Exegesin nobis hic pateat dicendi campus: haud potest facile ab eo ignorari, qui aduerterit, quam *varia & admiran-*

miranda prorsus diuina fuerit *Oeconomia*, qua viam *magis magisque* Deus strauit *aduenturo* olim *Messiae*, in *temporis* diuinitus constituti *complemento* generi humano *exhibendo*, &, (de quo omnes piae mentes merito laetantur,) reipsa iam *exhibito*. Id quod sine dubio etiam respexit, sibique & fidelibus in mentem reuocauit, *Diuus* PAVLVS, quando in Epistola ad Hebraeos statim a principio, verbis maxime emphaticis, commemorat, quam πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Deus *antehac* cum *Patribus* atque *Prophetis* egerit, suumque de humana salute consilium iisdem reuelauerit, vsque dum in *diebus postremis*, Oeconomiae N. T. destinatis, *per ipsum Filium*, *in carnem* & *in carne missum*, nobiscum fuerit locutus. Sed otium mihi hic fecerunt Viri illi doctissimi, qui in *Oeconomia* ista *diuina*, & *periodica* eiusdem *dispensatione*, per *omnes* veluti *Articulos* & *Gradus* explicanda, operam laudabilem posuerunt: quos inter praesto habemus Vener. Dn. D. MAIVM nostrum, in praeclarissimo opere *Oeconomiae V. T.* iam abhinc decem annis Francofurti edito; in quo non tantum *aliorum* huc pertinentium *Scriptorum* notitiam fecit, sed ipse etiam eorum diligentiam ac studium aequauit atque superauit. Et quia complures, imo plerique, *Typi* ac *Prophetiae* veteris Testamenti huius loci sunt: optandum merito est, vt non modo in *Theologia Prophetica* laudandis *Ioh.* COCCEII, *Nicol.* GÜRTLERI, *Campegii* VITRINGAE, *similiumque cl. Virorum* vestigiis alii insistant; sed, vt quoque post egregia conamina laudati COCCEII, *Ioh.* LVNDII, *Henr.* GROENEVVEGENII, *Franc.* BVRMANNI, *Petri* ALLIXII, *Henr.* DEVSINGII, *Conr.* MELII, *Salom.* DEYLINGII, similiumque doctissimorum Virorum, idem magis magisque fiat in euoluenda *Theologia Typica*; cuius & elegans nuper dedit specimen celeber. in Frideric. Acad. Theologus, Dn. *Ioach.* LANGIVS, in duabus Dissertationibus doctissimis de *Melchisedeco*, itemque in altera quadam, quae *Christum vna cum Christianismo* in *atrio Tabernaculi Mosaici praefiguratum* sistit; estque & in hoc genere, Vir διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας diuerse de Ipso sentientium hodie notissimus, (in quo ORIGENIS & dotes & doctrinam dicas reuixisse,) Dn. *D. Ioh. Guil.* PETERSENIVS, ex edito nuper tractatu, quem *Petachia* inscripsit, ob plurimas certe non contemnendas obseruationes inter doctos haud silendus; vt *plures alios* taceam, qui siue ex *antiquioribus*, siue ex *recentioribus*, in Commentariis ad *Typicos Propheticosue S.* Scripturae *Libros*, aut quauis alia insumta opera, fundum hunc excoluerunt. Quos inter h. l. meretur etiam commemorari cel. BVDDEVS, in rarioris argumenti de *Typicis peccatis* Dissertatione; licet illa, ad *Christum* habito respectu, (*alieni peccati imputationem*, suis quoque *typis* praefiguratam, si excipias,) non adeo sit huius loci.

Vt vero ad considerandos, in Aphorismo propositos, ANTIQVSISIMI nostri

nostri THEOLOGICI *respectus spectatiores plures* aliquo saltem modo descendamus: dabimus operam, vt circa eos explicandos tantum modo *summatim* mentem nostram declaremus. Habemus igitur in eo *Antiquissimum Theologicum:* 1.) *Ratione* ESSENTIAE & EXISTENTIAE; Id quod respectu *Diuinae* eiusdem *Naturae* apud plerosque Nomen Christi profitentes, (si *Neo-Photinianos*, & *Arianorum veterum reliquias* exceperis,) hodie in confesso est, & tot clarissimis Scripturae Ecclesiaeque priscae testimoniis abunde constat. At sunt quoque, qui Christum iam a Seculo, vel ante secula *Hominem* fuisse statuerunt, & etiam nunc statuunt: qui tamen non omnes sentiunt eodem modo. *Alii* enim *animam* tantum *Christi humanam* a seculo praexistentem asserunt; cui sententiae haud obscure fauet *Henricus* MORVS, *Christ.* KNORRIVS a *Rosenroth*, aliique cum *Cabbalistis* facientes, quibus familiare est, vt *omnes* quoque *humanas animas* corpori *praeexistentes* opinentur; quam sententiam Viri doctissimi *Iac.* THOMASIVS, & *Balth.* BEBELIVS ann. 1674. & 1675. singularibus Scriptis confutarunt. *Alii* vero Christum vel *iam in Paradiso quodammodo incarnatum* volunt, quam celeb. Viri *Petri* POIRETI & BOVRIGNONIAE esse sententiam, ostendit *Magnif. Acad. Tubing. Cancellar. Dn. D.* IAEGERVS, in *Examine Theologiae Nouae*, Controuers. VIII. p. 96. sqq. vel plane iam *ante ipsum Mundum conditum* Christo *diuinam* quandam atque *coelestem* prorsus *humanitatem*, eamque ab *illa*, quam ex Maria nobis coessentialem assumsit, *omnino distinguendam*, ipsique *diuinitus collatam*, asserunt; quam quidem sententiam supra adductus Dn. *D. Ioh. Guilielmus* PETERSENIVS, in Tractatu, (nuper demum mihi viso, quemque non nisi obiter hucusque mihi licuit inspicere,) Das Geheimniß des Erstgebohrnen aller Creaturen / edit. Francof. 1711. 8. pluribus argumentis publice adstruere annisus est. Cuius proinde rei cum omnia momenta, quae in hanc partem afferantur, nondum mihi tam plene sint perspecta, vt possim pro mea tenuitate iam in istius διάκρισιν descendere; praesertim cum & illa, quae & isti speciatim sententiae esse abeo dem *Magnif. Dn. Cancellario* IAEGERO, atque in Gryphisvvaldensi Acad. a *Cel. Dn. D.* GEBHARDO, in contrarium publice opposita, mihi haec scribenti est relatum, oculis vsurpare nondum potuerim: hoc mihi saltem in istam sententiam inquisituro, (pro aequitate cuique debita,) ducerem cauendum, ne eius Autori tribuam errorem *veterum Haereticorum*, humanitatem Christi *ex nobis*, & speciatim *ex Maria*, verissime *assumtam*, (quam sancte agnoscendam Auctor iste omni modo asseuerat,) temere *negantium*, inque *speciem* tantummodo (vnde etiam *Docetae* fuerunt appellati,) *humanam conuertentium*: quorum in censum veteres *Gnostici*, *Menanariani*, *Cerdoniani* & *Valentiniani*, (distinguentes

stinguentes inter Christum *per Virginem* & *ex virgine* natum,) itemque, qui ex illorum Schola cum temporis successu prodierunt, *Marcitae*, *Marcionitae*, itemque *Apellitae*, *Lucianistae*, *Tatiani* siue *Encratitae*, atque *Secundiani*, solent, (vna cum *Anabaptistis* & *Quakeris*,) diuersimode referri; nec *Sethianorum* quoque *veterum* opinionem, apertis, quos ipse detestabitur, erroribus refertam, ipsi tribuam. Celebre de caetero inter Cabbalistas τῦ *Adam Kadmon* nomen, quomodo ex ipsorum mente debeat intelligi; pluribus docere est annisus *cel.* BVDDEVS, *Introduct. ad Histor. Philosoph. Ebraeor.* §. 43. p. 311. sqq. 2.) *Ratione* VERITATIS; quam cum *Essentia pari* semper passu *ambulare*, recte iudicauit *ARISTOTELES L. II. Metaph. c. 1. in fine.* Quo certe respectu, cum *verissimum* sit Christus, etiam pro *antiquissimo* erit nobis merito habendus; de cuius philosophici axiomatis vsu & abusu egit *Eberh. Rudolph.* ROTHIVS in Logica Paulina p. 126. 3.) *Ratione* CONSILII *aeterni*; quo fuit Christus *Redemptor generis humani* πρὸ καταβολῆς κόσμυ, *teste PAVLO* Eph. I. 4. *a Deo constitutus*, ipseque, tanquam θαυμαςὸς βελευλὴς, (vt verba hebraea פלא יועץ Esa IX. 5. secundum LXX. accipit *Thom.* GATAKERVS *Dissert.* de Styl. N. T. c. III. Opp. Critic. p. 26.) *diuino* huic *consilio* interfuit; *Consiliarius* idcirco *Dei*, siue σύμβελος τῦ Θεῦ, a *CHRYSOSTOMO*, *Homil. LIX. contra Anomoeos*, ex hoc ipso loco Esaiae appellatus, & tanquam τῆς μεγάλης βελῆς ἄγγελος, ceu LXX. in hoc ipso loco eum vocant, (vt, qui *consilium dedisset*, etiam *auxilium ferret*,) in tempore missus; quo sensu & respectu etiam *Paulus* ipsum vocat τὸν αἰωνίαν λύτρωσιν ἐυρά́μενον, Hebr. IX. 12. quod cum *insigni loco* Iobi XXXIII. 24. optime & mirifice conspirat. De quo argumento prorsus singulari legi meretur *Theologi Lipsiens. celeb. Dn. D. Ioh.* SCHMIDII *Dissertat.* ad Zach. VI. 12, 13. *de Consilio pacis Iehouam inter & Virum Zemach*; habita Lips. 1711. quod tamen, ne ludibrio Empaectarum exponatur, Θεοπρεπῶς accipiendum & explicandum esse, (*Chrysostomo* etiam c. l. aduertente, quodque huic asserto locus Paulinus Rom. XI. 34. minus obstet, admonente,) res ipsa quidem satis docet. 4.) *Ratione* PROMISSIONIS; qualis est maxime insignis, quae legitur Gen. III. 15. sub Titulo *Proteuangelii*, apud Theologos celebrata, & a B. *D. Mart.* GEIERO, Venerabili item *Abbate Bergensi* & *Academiae Frieder. Theologo hodie primario*, *D. Ioach. Iust.* BREITHAVPTIO, aliisq; compluribus, singularibus Scriptis illustrata. 5.) *Ratione* PRAEFIGVRATIONIS; quo pertinent omnes V. T. *Typi* ad *Christum* referendi, quos inter vel *ipsa* in Paradiso iam insignis *Arbor vitae* solet etiam connumerari; quae ansam proinde dedit *B. D. Salom.* GLASSIO, vt ann. 1629. satis amplum ederet Tractatum, qui *Arbor vitae*, der Baum des Lebens / JEsus Christus /

legitur

legitur inscriptus. Ast sicuti *certa* & *distincta* satis *istiusmodi Typorum omnium* iam supra est a nobis exoptata *euolutio*; ita etiam omni, quo par est, studio cauendum, ne *allegorico* Scripturam explicandi *studio* nimium indulgeatur: quam in rem doctissima de *Allegoriis Origenis* celeb. D. BVDDEI Dissert. vtiliter est conferenda. 6.) *Ratione* PROLVSIONIS; quo forsitan obscuriori verbo *illos* volo designare *actus*, quibus Saluator noster futuro suo in carnem aduentui, *modo magis* iam *reali*, & *plus* quam *typico*, veluti *praelusit* aut *prolusit*; quo solet a Theologis referri *diuinus* iste *Trium-Virorum* ad *Abrahamum* diuertentium *accessus*, Genes. XVIII. 2. sqq. *Lucta* item *Viri* Θεανθρώπε cum *Iacobo instituta*, Gen. XXXII. 24. sqq. vt nihil dicam de *Melchisedeco*, tanquam exemplo magis dubio, & pluribus Doctorum controuersiis implicito; quibus tamen magnam lucem possunt iam afferre supra p. 34. laudatae *Dn. Ioach.* LANGII *Dissertationes* de hoc argumento; grauissimis rationibus probantes, quod *Melchisedecus secundum literam* non *ipse Filius Dei*, sed *nudum* tantum *homo* fuerit: id quod etiam *Magnif. Cancellar. Tubing.* Dn. D. IAEGERVS in Obseruat. ad Grotium de I. B. & P. obseru. V. cap. II. p. 98. sqq. contra *Tesmarum* solide defendit; & *Vener. Dn. D.* MAIVS *noster*, Oecon. V. T. c. X. §. VIII. pariter agnouit. 7.) *Ratione* EXSPECTATIONIS; quam graphice satis expressit *Petrus* 1. Ep. c. I. 10. 11. & *ipse Christus*, Luc. X. 24, nec non de *Abrahamo exspectante* speciatim loquens, Ioh. VIII. 56. Vt taceam de controuersa maxime *votiua exclamatione Euae Matris*, Genes. IV. 1. quam *fidei professionem* etiam fuisse, qua *Eua*, primum parturiens, *aduersus perceptos partus dolores* se erexerit, cum errore de *Caino*, perperam *Messia credito*, vix coniuncta; idem *Vener. Dn. D.* MAIVS, Oeconom. V. T. c. VI. §. XXII. docte comprobauit. 8.) *Ratione* EXHIBITIONIS; a *Paulo* ad Gal. IV. 4 itemque a *Iohanne* Euang. c. I. 14. per verba maxime emphatica expressae, & Doxologia *diuina* pariter, ac *angelica* atque *humana*, de qua Sectione superiori Aphor. II. diximus, declaratae atque celebratae. 9.) *Ratione* PRAEDICATIONIS & ACCEPTATIONIS; quam verbis *Pauli* 1. Tim. III. 16. (vt taceam de *Praedicatione* iam *Tempore V. T. facta*, quo locus Genes. IV. 26. videtur referendus,) neruose legimus propositam. 10.) *Ratione* CONVERSATIONIS cum fidelibus beatificae; quam, (a B. LVTHERO etiam in V. T. fidelibus hinc inde obseruatam,) emphatice nobis describit *Iohannes*, Euang. c. I. commat. cit. 14. collat. cum commat. 11. 12. cuiusque vi in vere credentibus efficitur, vt IESV CHRISTO suo nihil ipsi habeant ANTIQVIVS. *Ad principium* itaque *redit*, *quicquid de* hoc glorioso nostro capite *diximus*: id quod & ipsa *Eius* verba, legentibus paululum obscuriora, τὴν ἀρχὴν, ὃ, τι

ὅ, τι ἐ λαλῶ ὑμῖν, Ioh. VIII. 25. (a celeb. Philologo *Balth.* STOLBERGIO singulari Exercitatione quondam illustrata,) meo qualicunque iudicio videntur sibi velle.

Aphor. III.

Nouissimi Theologici denominationem Saluator noster IESVS CHRISTVS admittit rationibus, (quarum & hic aliquae *Ipsius*, aliquae *Fidelium*, aliquae *vtroque*, aut *alio* etiam respectu, Ei competuunt,) sequentibus: 1.) Ratione *Permanentiae*; 2.) Ratione *Manifestationis*; 3.) Ratione *Participationis*; 4.) Ratione *Profectionis*; 5.) Ratione *Fruitionis*; 6.) Ratione *Glorificationis*; 7.) Ratione *Appetitionis*; 8.) Ratione *Antiquationis*; 9.) Ratione *Successionis*; 10.) Ratione *Infinitationis*, cum sancta infinitae *Nouitatis* diuinae *Admiratione* sociandae. Vt rursus taceam *respectus quosdam* a propositis hisce *alienos*; de quibus infra seorsim erit aliquid dicendum.*

* De *Nouissimo* dum agimus hoc loco: veniam quaeso dabis, Lector, quod *vocabulis* quoque, *intellectu*, (cum primum legeris,) quodammodo *difficilioribus*, & hoc respectu *nouis*, sit mihi hic vtendum; sed quorum tamen *obscuritatem*, primo obtutu obuersantem, *subiecta* mox eorum *explicatione*, declarabo: maiorem quoque dilucidationem adhuc quam libentissime adhibiturus, si *Nouissima illa*, de quibus hic mihi est scribendum, διὰ εἴδες magis, quam διὰ πίστεως, (secund. 1. Corinth. V. 7.) iam possent nobis obuersari. Verum ne sic quidem desiderio Lectorum licebit satisfacere. Multa quidem hic nobis praeclara offert *verbum V. T. propheticum*, cuius *Systema*, *Compendium*, & *Clauem* exhibet nobis *Iohannea* Ἀποκάλυψις, *inexhaustos futurae gloriae thesauros*,

sauros, (de quibus & Paulus testatur 2. Corinth. II. 9.) nobis sistens, & a tot Viris doctissimis *variis* instructa *Commentariis*; quo etiam *Vener. Dn.* D. MAII nostri, quae iam sub prelo est, *Oeconomia N.T.* merito est referenda. Nec aliena est ab hoc praesenti argumento Celeb. *Dn. D.* BVDDEI de *Praerogatiuis Fidelium N.T. prae Fidelibus V.T.* Dissertatio insignis, lectuque valde digna. Valent tamen hic nihilominus notatu longe dignissima ex 1. Corinth. XIII. 12. huc pertinentia PAVLINA verba: *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc vero a facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc vero cognituras sum, sicut etiam cognitus sum.* In his proinde *Rebus* ac *Sententiis*, si quaedam sunt δυσνόητα, aut a recepta opinione aliena, & grauioribus proinde controuersiis adhuc implicita, sed suis tamen, iisque haud prorsus contemnendis, praesidiis innixa, & fidei nostrae fundamentum per se haud attingentia, ac inter abstrusiora propheticae Theologiae referenda: ea, (vti & quemlibet patior suo abundare sensu & plerophoria,) exercitatioribus ac perspicacioribus discutienda iam relinquo; mihique minimum cauendum esse duco, ne κρίσιν τῆς βλασφημίας ferre ausim aduersus talia, quae, (*diuino* partim relinquenda *iudicio*, partim ad *Ecclesiae* nouissimis temporibus futura *fata* referenda,) sunt *euentu potius*, quam quidem *humano iudicio*, in tanto sententiarum discrimine, audacius definienda; possuntque suis Autoribus permitti, si debitos iustosque intra limites contineantur, inque certa fidei nostrae fundamenta non impingant.

Ad *Respectus* vero nostri Aphorismi *specialiores plures*, vt deueniamus: liceat mihi eos sequentem in modum declarare. Habemus nempe in Saluatore nostro NOVISSIMVM THEOLOGICVM: 1.) *Ratione* PERMANENTIAE; quia is, qui *est* ac *fuit*, futurus quoque *erit* in aeternum, Apoc. I. 8. Regnumque eius glorioſum *nunquam habebit finem*, Dan. VII. 14. Luc. I. 33. collat. cum Apoc. XI. 15. Tametsi enim teste *Paulo*, 1. Corinth. XV. 24-28. sit *Regnum Deo Patri olim traditurus*: non tamen *Regnum ipsum*, sed tantummodo *Oeconomia Regni* traditione hac insigni & mirifica quodammodo cessabit. Quae *Traditio* cum pariter *inter abstrusa Verbi Prophetici* sit referenda: poterunt de ea conferri *duae* Dissertationes *Theologorum duorum* celebertimorum, ex instituto argumentum hoc tractantes: *altera* Dn. D. *Ioh. Christoph.* PFAFFII, de *Fine Oeconomiae Christi*, ann. 1713. in Acad. Tubing. atque *altera* Dn. D. *Gustav. Georg.* ZELTNERI, de *Subiectione Christi glorioſa*, ann. 1715. in Altdorffin. Acad. publice proposita. Quarum *vtraque* cum *scriptis & assertis* PETERSENIANIS sit potissimum opposita: *vtrinque prolata* celeberrimis doctissimisque ab *vtraque parte* stantibus Autoribus *vlterius & altius discutienda* itidem relinquo; cum meum iam non sit, in istam controuersiam descendere. 2.) *Ratione* MANIFE-

NIFESTATIONIS; quia dubium non est, quin *infinitae & inexhaustae gloriae Thesauri*, quos in *Iesu Christo* aeque ac in *Deo ipso* reconditos latere nobis est dicendum, in seculis futuris *magis magisque* cum ipso *seculorum successu* sint pandendi. Nam sicuti *Oeconomia V. T.* praecessit *Oeconomiam N. T.* atque ad hanc pertinens Oeconomia *Regni gratiae* praecedit Oeconomiam *Regni gloriae:* ita dubium non est, quin hoc ipsum *gloriae Regnum* suas quoque habiturum sit *Oeconomias*, in quibus ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, secundum 2. Corinth. III. 18. *perpetuus* aliquando *progressus* sit futurus; quo puto & pertinere *nouitatem nominis* ipsius *Christi*, de qua legitur Apoc. III. 12. 3.) *Ratione* PARTICIPATIONIS; quia *Deus & Christus* noster non *sibi soli*, nec *solis angelis* futuram hanc *maiorem* semper *manifestationem* suae *gloriae* seruabit, sed *suos* quoque *electos*, quos secundum Apoc. III. 21. & c. XXII. 5. *Throni* atque *Regni sui* vult *consortes* esse, tanto quidem magis, (vt clare testatur Paulus Coloss. III. 3. 4.) faciet participes. 4.) *Ratione* PROFECTIONIS; quia res ipsa docet, *tantam* gloriae *participationem* in beatis non fore absque *multiplici profectu & cognitionis & amoris* diuini, *caeterorumque omnium*, quae ad *maiorem* ipsorum *perfectionem* vllo modo pertinebunt; non quidem in altera & futura vita ab *imperfectione* ad *perfectionem*, veruntamen a *perfectione* in *vno genere* ad *perfectionem* in *altero genere* progredientium: idque ad modum & rationem *adultorum*: qui, licet *statura* amplius crescere non possint, quae in fidelibus quoque secundum Eph. IV. 13. ad *mensuram* virilem *perfectae aetatis Christi*, (ad quam pro *huius vitae ratione* etiam Apoc. XI. 1. quodammodo respicitur,) est aliquando proiehenda; *vsu* tamen *rerum & experientia*, indies *maiora incrementa* nunquam non admittunt. 5.) *Ratione* FRVITIONIS; quae *talem* in perfectione & gloria *profectum* sua sponte sequitur, & *sensum* atque *vsum*, (quo spectat quoque Psalm. XXXVI. 9. 10.) *futurae beatitatis perfectissimum* nobis hic designat. 6.) *Ratione* GLORIFICATIONIS; quae *ex praemissis* non potest non in eum modum suboriri, vt *laus* quoque & *celebratio* Christi *semper* sit futura *noua, nouisque hymnis* decantanda; cuius rei Psalm. XIX. 3. Ps. CXLIX. 1. sqq. Apoc. V. 9. cap. XIV. 3. atque alibi vestigia deprehendimus. 7.) *Ratione* APPETITIONIS; quam nempe praecedentes gloriae & beatitatis gradus semper *denuo* exstimulabunt; cum Christus *talem* suis electis *Mannam*, talemque *Aquam* se praebuerit, cuius *nunquam* cum Israëlitis *taedium* eosdem capiet, quin *nouo* potius & *aucto* semper, (eoque non *indigentiae*, sed *concupiscentiae*,) ad ipsum *desiderio*, secundum Ioh. VI. 31-35. & Ecclesiastic. XXIV. 27-29. (*vtroque dicto* hoc modo facile conciliando,) id ipsum sint appetituri. 8.) *Ratione* ANTIQVATIONIS; quae locum habebit respectu *gradationum praecedentium*, ita

scil.

ſcil. vt *harum antiquatio*, perinde ac Apoc. VI. 14. & c. XX. 11. *veteris coeli atque terrae abitus* ac *fuga* hic ipſa ad *inſtar nouitatis* ſit futura. 9.) *Ratione* SVCCESSIONIS; quae praecedentem *antiquationem* graduum *priorum*, perinde ac Apoc. XXI. 1. *noui coeli atque terrae* poſt priorum fugam *apparitio*, eſt *nouis* ſemper *gloriae* aeternae *gradibus* conſecutura. 10.) *Ratione* INFINITATIONIS, cum *ſancta* infinitae *Nouitatis* diuinae *Admiratione* perpetim ſociandae; quia hoc *inexhauſtum* & *omnis fundi terminandi expers* coeleſtis gloriae atque beatitatis *Mare* infinitatem ſuam *hoc ipſo*, poſt tot Aeonum interminabilem decurſum, *innatantibus eidem* comprobabit, quod, etſi per *quamlibet* innatantium *periodum*, ſecundum Apoc. IV. 6. & c. XV. 2. veluti *vitreum* & *cryſtalli* ad inſtar *pellucidum* ſit ſemper extiturum, vt non aeque, ac in hac vita, *admirationi* ex *obſcuritate* locus ibi ſit futurus, tamen ſemper *aliquid* ἐν hoc τῷ βάθει *prorſus infinito* vna ſit remanſurum, quod *ſanctam* & altera vita *dignam* in beatis *admirationem*, ex *imperſpicua quadam* ſui *nouitate* poſſit prouocare. Adeo quidem, vt *omnis* in θεογνωσίᾳ καὶ θεοσοφίᾳ (addo & χριστογνωσίᾳ,) *profectus* non modo *in hac vita*, (de qua B. D. GERHARDVS LL. Th. Tom. IX. §. 73. id eleganter & veriſſime enuntiat,) ſed ſuo quoque modo in *Vita altera*, (ad cuiuscunque etiam Oeconomiae *ſummum gradum* eadem peruenerit,) *ſemper tamen*, reſpectu noſtri, *futurum ſit verbum Defectiuum*, cuius clauſula eſt: *Caetera deſiderantur.*

Aphor. IV.

Ad *reliquos* quod attinet Theologici noſtri Antiquiſſimi ac Nouiſſimi *Reſpectus*, quos ab hucusque propoſitis *alienos* eſſe ſupra diximus: pertinet huc tum ANTIQVITAS: 1.) Ratione *Aſſuefactionis*; 2.) Ratione *Satietatis*; 3.) Ratione *Euileſcentiae*: tum porro quoque NOVITAS: 1.) Ratione *Stuporis*; 2.) Ratione *Depraua-tionis*; 3.) Ratione *Fictionis*. De quibus omnibus adhuc breuiter in ſubiecta declaratione eſt dicendum. *

* *ALIENOS* a superioribus dico hos *RESPECTVS*: quia *Antiquissimo* nostro atque *Nouissimo* omnes omnino sunt *indigni*; & sic *vtrique* minime conuenientes. Potest enim & Salus nostra IESVS CHRISTVS indigno prorsus modo cum *antiquari*, tum *nouari*. *ILLVD* quidem, (videlicet τὸ Eius *ANTIQVARI*,) exoritur: 1.) *Ratione* ASSVEFACTIONIS; quando *idem sit cum Sole iustitiae*, quod CICERO ex *Aristotele* elegantissimis verbis, L. II. de Natura Deorum, enunciauit de *Luce ac Sole huius mundi aspectabilis*; dicens, quod *assiduitate quotidiana*, & *consuetudine oculorum*, sic ei *assuescant animi*, vt *nulla* amplius *admiratione rei*, quam semper vident, *capiantur*; quasi vero *nouitas* nos magis, quam *magnitudo* rerum debeat ad cognoscendum excitare. 2.) *Ratione* SATIETATIS; quae *dicta* ex *Assuefactione* suae sponte sequitur. 3.) *Ratione* EVILESCENTIAE; quae *dictam* sequitur *Satietatem*. Adeo vt hic quoque commune *prouerbium*, quo *vilescere* dicuntur *quotidiana*, euadat *verum verbium*; idemque *nobiscum* fiat, quod olim cum V. T. *Israelitis*, Num. XXI. 5. factum esse legimus, *quorum* spurio commota appetitu, victumq; Aegyptiacum reconcupiscens anima, *nauseabat* super *ipsa Manna*, tanquam *super cibo leuissimo*. Quam certe & *nobis* denuo *subnatam* Christi & Euangelii ipsius *nauseam* grauiter passim nobis exprobrauit *Megalander* LVTHERVS *sequelas minime faustas* coetui suo exinde ominatus; quae *piae* indignantis atque vaticinantis *querelae* a *M. Petro* GLASERO iam olim sunt in *fasciculum* collectae, forentque omnino dignae, vt *antiquatae*, in oculis mentibusque nostris *reuiuiscerent*. *HOC* vero, (videlicet τὸ Eius *NOVARI*,) exsurgit: 1.) *Ratione* STVPORIS; qualis in *Gentilibus* olim atque *Iudaeis* erat *Stupor* vel *malitiae* vel *ignorantiae*, quando Christianae rei ac doctrinae *nouitatis crimen*, (teste saepius laudato B. D. KORTHOLTO in pagano Obtrectatore, L. I. c. I.) *temere obiiciebant*; cum *noctuarum* aut *vespertiliorum* instar, (quod de *nativa* quoque humani intellectus *deprauatione* ingenue ac vere L. II. Metaph. c. I. ARISTOTELIS fatetur,) vel *ad clarissimam lucem caecutirent*; de quo hominum genere verissime dicit PAVLVS, 2. Corinth. IV. 3. 4. *Si vero etiam abscónditum est Euangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est abscónditum*: in quibus *Deus Seculi huius excaecauit sensus infidelium*, vt *non splendeat illis illuminatio Euangelii gloriae Christi*, qui est Imago Dei. 2.) *Ratione* DEPRAVATIONIS; qua fieri potest, vt quoque apud *illos*, qui *veram Euangelii doctrinam* quondam sunt *amplexi*, possit illa, *varia corruptione*, perperam *nouari*; quo pertinet lectu dignissimum opusculum B. D. *Pauli* TARNOVII de *Nouo Euangelio*, ann. 1624. 4. Rostoch. editum, & non ita pridem ab altero docto pioque Viro etiam germanice translatum; quo *inanis* plerorumque Euangeli-

uangelicorum *persuasio* de *opere operato cultus Dei externi*, (vt *alias* eiusmodi *deprauationes*, a B. LVTHERO *haud vno in loco* tactas, iam praeteream,) grauissime perstringitur, & quod haec sit *causa omnium calamitatum*, Christianum orbem *submergentium*, ostenditur. 3.) *Ratione* FICTIONIS; qua fit, vt non tam *deprauetur verum*, quam *effingatur falsum* Christi *Euangelium*. Quo sane pertinent, quae celeberrimi AVTORES *Relationum Germanicarum*, quas vocant, *innocentium*, ad ann. 1701. p. 409. sqq. de *recens conuicto nouorum sanctorum IESV*, (in se haud iniuste,) conqueruntur; dummodo vna prospiciatur, ne *verus* quandoque *antiquorum* IESVS pro *ficto*, (vt *fictus* vel *deprauatus* nouorum pro vero,) habeatur: itemque etiam ab omnibus considerentur, quae circa *conflictum Nouitatis crimen* huc spectantia, sique *commode* accipiantur atque applicentur, haud prorsus taxanda, monuit *Ioh.* CLERICVS in Dissertatione, de *Argumento Theologico ab inuidia ducto*, quam in operibus suis Philosoph. edit. Amstelod. de ann. 1700. post *Logicam* inseruit; quaeque & vir celeberr. *Dn. D.* RECHENBERGIVS eodem anno in inuitatione ad solennem Panegyrin Theologicam ad *huius ipsius argumenti illustrationem* verissime ac doctissime proposuit. Caetera quae hic dicenda forent: residuo Tractationis nostrae reseruamus.

CAPVT II.

De IESV CHRISTO, spectato vt totius verae Theologiae Centro.

Aphor. I.

CEntrum totius verae Theologiae, qui *Saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM* vult agnoscere & profiteri*: eum nosse primum

oportet, quid sit h. l. *Theologia* generatim; ** deinde, quid sit *Theologia vera* atque *tota*; *** ac denique etiam, quid per *totius verae Theologiae Centrum* hic sit intelligendum. ****

* Volumus huc itaque referri *illos omnes*, qui Saluatorem nostrum, *sub hoc elogio & axiomate*, quod Aphorismus exprimit, *nobiscum* vel *actu ipso* agnoscunt & profitentur, vel *saltem suo desiderio* ad hoc feruntur atque trahuntur. Non tamen opus est, vt *iisdem plane verbis* omnes hoc nobiscum faciant; quales forsitan vel *plane nullos*, vel *saltem paucissimos* inuenias. Sufficit h. l. *consensus realis:* quo omnes Theologiae verae *sensum aliquem*, (vel tantum secundum S. Scripturae literam,) habentes, nobiscum consentire, & *verbali* quoque *expressione* nostrae huic quodammodo accedere, oportet. Id quod etiam re ipsa fieri, pluribus infra ostendemus: *rationem* simul *reddituri*, cur *hac* speciatim *expressione* vti nobis hic libuerit.

** THEOLOGIAE Nomen *generalissime* acceptum, (tumque *ad Christianam* speciatim *Theologiam* ab) ista generali notione *transferendum* vel *translatum*,) quid designet? Id quidem a Theologis, cum in *Deductionibus prooemialibus*, quae Compendiis & Systematibus Theologicis haud paucis sunt praemissae; tum quoque in *Dissertationibus* de hoc ipso argumento *singularibus*, aut quoque in *Scriptis Propaedeuticis & Isagogicis* seorsim editis *maioribus*, (in quibus B. D. RVDRAVFFII nostri *Protheoria Theologica*, quam Venerand. Dn. D. RVDIGERVS noster ann. 1711. *auctius* & *accuratius* hic recudi fecit, itemque B. D. *Ioh.* MVSAEI *Introductio in Theologiam* edit. Ienae 1679. 4. inprimis merentur commendari;) tam *copiose* atque *operose* est tractatum, vt *ad illa* prouocare, possit iam sufficere. His tamen si nostrarum qualiumcunque obseruationum foret h. l. aliquid addendum: poterunt fortasse *sequentia paucula* alicui, quod earum documentum Lectori beneuolo praebere.

Existimo igitur, quod THEOLOGIA *generalissime*, atque *secundum* hanc *generalitatem*, (si loqui hoc modo liceat,) etiam *propriissime* accepta, vi *vocis & rei*, sit *id ipsum*, quo *Theologus est ac dicitur Theologus*: quia scil. *Theologia* est *forma constituens* atque *denominans Theologum*, eoque *talis*, per quam ille *rem* atque *nomen* suum habet. Quod si vero explicatius iam nosse velis, *quid sit illud*, quod *esse* ac *dici* faciat *Theologum* generalissime & *dicto modo propriissime acceptum*? Dixerim: Esse id *Collectionem de Deo rationabilem*;

h. e.

h. e. *talem*, quae & *profecta ſit a Subiecto rationis compote*, & *rationem quoque ſui in ſe contineas:* quae dicta Ratio, *recta* quidem ſemper debet eſſe *de iure*, perſaepe tamen eſt *erronea* de *facto*, & *Ratio* tum quoque *dicitur* non tam *de iure*, quam *de facto:* id quod de *Theologia*, quae *Rationem* ſequitur *peruerſam*, eſt certe *pariter* exiſtimandum. Vbi tamen porro monendum, quod & *rectae Rationis nomen* hic velim accipi *adeo generaliter*, vt non ſolummodo includat *collectionem rationabilem*, quae *in colligente* proficiſcitur *ex euidentia Rei*, de qua *aliquid colligitur*; ſed poſſit etiam ſimul includere *collectionem talem*, quae proficiſcatur in *colligente* circa eandem rem *ex euidentia Teſtimonii*, fide non indigni: itemque, vt non olummodo includat *Collectionnem rationabilem* ex *Naturae viribus profectam*; ſed poſſit etiam ſimul includere *talem*, quam poſſis ex *Gratiae viribus profectam* appellare. Quae obſeruatio vſum ſuum habet in applicatione ad *Theologiam Chriſtianam*.

Eſt itaque, (ſenſu iam expoſito,) THEOLOGVS, qui *vere rationabiliter aliquid de Deo colligit*; vnaque etiam de *rebus omnibus*, ad *Deum pertinentibus*, quatenus nempe *illae* & ad *Theologum* cenſeri poſſunt *pertinere*. Id quod *conſulto* ſic volui exprimere: quia praeſertim de *Diuinis rebus* inſtituta *Collectio* debet iuſtos intra terminos ſe continere: atque etiam *vox* λόγος, (quae hoc loco, & in tali compoſitione, *ſuppoſitiue & actiue*, ſiue pro *ipſo Subiecto colligente* accipienda, cum voce λόγος, quae etiam *ſola ſtare poteſt*, & non tam *ipſum colligentem*, quam *principium collectionis*, ex vſu linguae deſignat, haud confundi debet,) *iuncto* nomine *Obiecti*, tamquam altera compoſitionis parte, ſignificat *aliquem*, de *quocunque Obiecto ſuo vere rationabiliter colligentem:* ſiue haec *Collectio* fiat tantummodo *ratiocinando*, per ſolum λόγον ἐνδιάθετον; ſiue etiam *ſermocinando*, per accedentem λόγον προφορικὸν, inſtituatur. Vnde patet, quod AVGVSTINVS, (quem poſtea fere omnes in huius vocis explicatione ſunt ſecuti,) L. VIII. de Ciuitate Dei c. I. vbi dicit, Theologiam eſſe *Rationem* vel *Sermonem* de *Diuinitate*, ſiue, (vt vis natiua vocis, *vtrumque* ſignificantis, preſſius adhuc exprimatur,) *Ratiocinationem* vel *Sermocinationem* de *Deo*; vere quidem, ſed tamen *per ſpecies* id definiuerit, cuius quaedam *generalis*, & *ſpeciem vtramque* virtualiter *includens notio* h. l. poterat deſiderari: quam datam fore exiſtimo, ſi dictae *Collectionis* notionem hic ſubſtituas.

Iam, etſi haec COLLECTIO *de Deo rationabilis*, (de qua nobis hic ſermo eſt,) poſſit vel SVBIECTIVE vel EFFECTIVE accipi, eoque colligentis vel ἐνέργειαν vel ἔργον deſignare; tumque & in *PRIORI SIGNIFICATV*, colligentis, vel ſolam *potentiam*, vel ſolum *actum*, vel quoque ſolum *habitum*, aut *hunc* quoque interdum cum ſuo *actu* coniunctum; in *POSTERIORI* autem *SIGNIFICA-*

FICATV possit, (pro ipsa diuersitate *actus*,) vel *internum* vel *externum* colligentis *opus* denotare: certum tamen est, quod nomen Θεολόγυ, secundum significationis suae ἐξοχὴν consideratum, praecipue respiciat *habitum* de Deo *collectiuum*; ad *actum suum*, quoties requiritur, eoque & ad *opus suum*, (idque cum *externum* tum *internum*, prout necessitas & ratio collectionis tulerit,) nunquam non *paratum*; & hoc quidem respectu pro *facultate*, ad aliquid *recte*, *vere exacteque* de hoc dignissimo obiecto suo colligendum, *perfecta* & *praestantissima* accipiendum.

Quae *nominis Theologiae* accuratior expositio, etsi fortasse nimium *Scholastica* videri queat: habet tamen *vtilitatem suam* ad extricandas *controuersias* quam *plurimas*: & inter alia non solum ostendit, cur Theologia, *secundum formam suam* spectata, rectissime dicatur *Deum obiectiue* tantummodo *respicere*, tamquam collectio rationabilis *de Deo*; licet *efficienter* & *finaliter* spectata, etiam *a Deo* debeat proficisci, & quoque *ad Deum* nos perducere; sed eriam declarat, cur nomen *Theologiae* κατ' ἐξοχὴν adhibitum, *talem*, qualem supra descripsimus, *habitum*, (qualemque & ipse Paulus Hebr. V. 14. in *illis*, qui τέλειοι sunt ἐν λόγῳ δικαιοσύνης *nominetenus* requirit,) rectissime dicatur designare; dummodo & *omnia ea*, quae Paulus *in tali habitu* respexit, essent in *omni Theologo* reperiunda.

*** VERAM porro dicimus THEOLOGIAM, quae *id*, *quod esse dicitur*, *reipsa est*; eoque & *efficere reipsa potest*, quae *in Theologo ipso*, perque eum *in aliis*, debet *efficere*. Ex quo iam clarissime apparet, cur *pura puta Theologia Naturalis*, (quam *Reuelatae* hic opponimus,) non sit prorsus *adaequate* & *perfecte* vera. Videlicet, cum omnium rerum perfectissimae formae *principiatiue* pendeant a perfectione *causarum* suarum *efficientium*; vires vero *naturales* non sufficiant ad *tam perfectam* de Deo collectionem, *qualis* ad cultum Deo dignum & acceptum, caeterosque salutares Theologiae fructus *requiratur*; eo, quod homini lapso, & per peccatum intime corrupto, *ad Deum*, eiusque *inaccessibile lumen*, sit *via*, quae non nisi *per Christum* patet, penitus *praeclusa*: profecto, deficiente cognitione *Christi*, deest etiam huic *Theologiae* perfecta sua *veritas*; quae nempe *sensu biblico* secundum Eph. IV, 21. Ioh. I. 14. 17. c. XIV. 6. non nisi in *Christo* reperitur.

At veto, cum *Christi* quoque *cognitio*, (etiamsi secundum *literalem*, & literali innixam *conceptualem* sui *rationem* perfectissima foret,) non possit *subiectiue* spectata censeri *adaequate* & *perfecte vera*, nisi etiam simul sit *viua*, atque *talis*, qualis secundum 1. Corinth. II. 14. non nisi in *renatis* esse potest: clarissime apparet, cur etiam *Theologia Christiana hominis extra regenerationis statum positi*,

poſiti, ſenſu S. Scripturae, tametſi veriſſima ſit *typice*, vel *obiectiue*, h. e. *ſecundum veritatem literae*, (quae in Scriptura S. expreſſa, poteſt quoque per *mentis conceptum*. in quantum Scripturae ſenſus naturali homini pateat, & incorrupta maneat, ad *eius praeſcriptum* efformari;) non tamen ſit vera in eo *energetice*, vel *ſubiectiue*, h. e. ſecundum veritatem *Spiritus*; eo ſcil. *modo* atque *gradu*, quo ſuam in *renatis* efficaciam exſerit: niſi *vitam* & *cognitionem ſpiritualem* quaerere velis in *ſpiritualiter mortuis*. Vt mirum ſit, de re tam clara tantas hucusque agitatas eſſe lites; & *vim*, quae eſt in *Spiritu S.* loquente per *Scripturam*, tam manifeſto confundi cum *effectu* eius ſalutari, quem certe S. Scriptura in homine *irregnito* qua tali, AEQVE ac in *regenito*, (etiam *Cognitionis Theologicae* reſpectu,) profecto non aſſequitur. Quam impoſſibile enim eſt, in *homine naturaliter mortuo* dari *Vitam ſenſumque naturalem*: tam quoque eſt impoſſibile exiſtimandum, in *homine ſpiritualiter mortuo* dari *Vitam ſenſumque ſpiritualem*: nec vero vis illa *energetica*, quae eſt in *Verbo diuino*, & citra quidem controuerſiam eſt maxime *operoſa* & *idonea*, ad *ſpiritualem Vitam* in *homine irregenito*, niſi hic reſiſtat, *excitandam*, haberi vlla ratione poteſt pro *ipſa ſpirituali Vita*, quae *ſubiectiue* eſt homini *irregenito* per vim iſtam diuini verbi *conferenda*, & homini *regenito* per dictam eandem vim *collata*: quae *duo* tamen a diſſentientibus *vbique* videas *confundi*.

Quare cauſam ſane non habuerunt, qui hanc veriſſimam & publice ſaepius defenſam ſententiam celeberrimorum huius Acad. THEOLOGORVM, (in qua B. D. *Chriſtian.* KORTHOLTVM, teſtantibus eiusdem *ſcriptis*, *B. D.* SPENERO ὁμοψήφοις, & FILIO, qui ipſam hanc noſtram Academiam hodie exornat, celeberrimo, *publice & ſerio animo*, quod tamen Dn. Lic. NIEHENCKIVS in ſuo compendio errorum, vbi plures citat huius veritatis teſtes, Loc. I. Err. II. de vno Eorum afferere auſus fuit, ſecundum *ipſorum mentem* nunquam habuerunt contradicentem,) inter errores, quos vocant pietiſticos haud veriti ſunt referre: non diſtinguentes inter λόγον ἔμφατον & ἔμφυτον; de quo vid. Ioh. I. 5. & Iac. I. 21.

Eſt igitur *Theologia vera*, & quidem *ſpecialiter* ſic dicta, idem nobis h. l. ac *Theologia vere Chriſtiana*; eademque non modo *obiectiue*, ſed quoque *effectiue*, & hoc reſpectu etiam *ſubiectiue* vera: praeſertim, cum & ipſi diſſentientes vrgeant, *Scripturam S.* non tam *Theologiam*, quam *principium Theologiae* eſſe appellandam; eoque a *Theologia*, (quam in *regenito* homine *veriſſimam* ac *praeſtantiſſimam* producit,) omnino diſtinguendam; licet de caetero facile concedam, quod poſſit quoque circa *Theologiam Chriſtianam* hominis *irregeniti*, in quantum ea eſt ſaltem *obiectiue* vera, Chriſtus ad minimum *obiectiue* etiam ipſius *Centrum* appellari. Vbi commode adhuc in mentem veniſ

venit insignis locus Ephes. V. 14. in quo *illuminatio* non *ante*, sed *post* regenerationem, tamquam spiritualem viuificationem, aut resurrectionem, *expresse* ponitur. Videlicet non illa illuminatio *praeueniens* & *excitans*; quae potest vtique etiam in *irregenito*, (eoque vel *resistente*,) habere locum; *qualis* nempe est illa, de qua legimus Ioh. I. 5. 9. 10. qualisque respectu *Gentilium* poterat quoque, (secund. Ps. CXLVII. 20. & Rom. IX. 4. cap. III. 2. collat. cum Act. VII. 39.) *Iudaeorum* τοῖς γραμματεῦσι *Christum reiicientibus* attribui, & suo modo inter χαρίσματα *tertii Articuli* referri; quaeque fere nihil est aliud, quam *efficacia ipsius verbi diuini*, ab ipso in se haud separandi, inque vel ipsis impiis *diuerso modo* & *gradu* tese exserentis: sed respicitur hic potius illuminatio ista *subsequens* atque *inhabitans*, quae homini per verbi vim *renato*, & *in regenerationis statu* ipso actu *posito*, non *transitorie*, sed *HABITVALITER* confertur atque inest, eumque efficit *Theologum*, diuina luce ac virtute iam *habitualiter* gaudentem. Quae *duo* quam maxime *differentia* videas proinde *pariter* a dissentientibus in ista controuersia *confundi*. Nec obstat, in *Theologo* posse etiam requiri *talia*, quae a Regeneratione *per se* non dependeant. Optime enim hoc dubium soluit *Magnif. Dn. Cancell.* IAEGERVS, in Systematis Theologici Prolegom. p. 3. vbi ait: *Controuersiam illam, quae magnis animis fuit agitata, an potius* Theologia *sit habitus* Θεόδοτος, *an vero* acquisitus? *inter* rixas scholasticas, *quae plus saepe ex spiritu ambitionis, quam charitatis habent, a nobis, collige, referri. Facillimum enim fuisset conuenire: dicendo,* Θεόδοτον *esse, si* principium *&* substantia *spectetur*: acquisitum *vero, si* adminicula *considerentur*, vt est *labor, industria, meditatio, oratio, apparatus linguarum.* Hactenus Viri summi verba. Possuntne vero dissentientes, (si haec distinguant,) habitum Θεόδοτον, qualis Theologum decet, etiam *absque regeneratione* sibi concipere?

TOTAM porro vocamus *Theologiam veram*, quae sumitur *in toto complexu* omnium illarum *Veritatum salutarium*, quae ei vel *essentiales* sunt, vel saltem *integrales*; habentque se per modum *Articulorum*, aliquam veluti *Catenam*, & hoc quidem loco *Catenam fidei saluificae*, constituentium; cuius proinde respectu Fides *vna copulatiua* iam ab antiquis Theologis est appellata.

**** CENTRVM denique *Theologiae verae* ac *totius* non sumimus h. l. in *rigore Geometrico*, pro *eo*, quod inter caeteros fidei articulos sit ita *medium* secundum *rem*, vti *punctum* in *Circulo*, ab omnibus peripheriae partibus *ex aequo* distans; sed *laxius* hic *Centrum* sumimus; scil. pro eo, quod in *relatione* ad *caeteros fidei articulos* non tam est medium *secundum rem*, quam potius

potius *secundum rationem*; designans scil. h. l. tale quid, in quo *omnes fidei articuli*, maxime vero *essentiales* atque *principales*, (sed *alii* tamen propinquius, *alii* remotius,) *ratione* & *respectu* singulariter *conueniunt* ac veluti *concurrunt*; perinde fere, ac apud medii infimique aeui scriptores, [testante *Carolo du* FRESNE in *Glossario Latinitatis mediae & infimae*,] nomen *CENTRI Architectonico sensu* vsurpatum legitur; pro *nodis* nempe istis aut *apicibus*, in quibus *plures* diuersorum *fornicum arcus*, in *maiori minoriue* suarum partium *distantia*, concurrunt, atque fulciuntur.

Et quanquam *Centri* nomen in *tali significatu positum*, nec in *Scriptura S.* nec in *Ecclesiasticis Scriptoribus* sit facile reperiundum; ideoque etiam a FLACIO in *Claue S. Script.* & RAVANELLO in *Bibliotheca sacra*, tum quoque a SVICERO in *Thesauro Ecclesiastico*, & celeb. D. RECHENBERGIO in *Hiero-Lexico*, sit plane praetermissum: sunt tamen ad minimum inter *recentiores Theologos*, qui in *applicatione* ad *Christum*, aut *veritates cum Christo arctissimo connexas*, hoc sensu *Centri* nomen vsurparunt.

In hunc modum enim *B. D.* GERHARDVS in Exegesi LL. Theolog. Tom. I. Loc. IV. p. 1109. *Articulum de Christo* vocat *totius Scripturae Propheticae & Apostolicae Centrum*, *Ecclesiae fundamentum*, *thesaurum spei nostrae*, *fontem salutis & gratiae*, a *quo denominemur Christiani*, a *quo descendant omnia*, *ad salutem aeternam nobis necessaria*. Simili modo *B. D.* RVDRAVFFIVS noster in Protheoria Theologica Sect. I. §. 24. p. 99. vbi sermo ipsi est de *cohaerentia* & *harmonia* Articulorum *fidei*, dicit *connexionem illam* esse *ratione Centri*; quod sit *CHRISTVS*: *alteramque altera propinquiorem aut remotiorem*; adeo, vt *doctrina coelestis recte dicatur Circulus aureus & perpetuus*, cuius *Centrum sit Christus*, de *quo testentur omnes Prophetae*; citans quoque in hanc rem B. HABERKORNIVM. Pariter & B. D. KROMAYERVS, in Theologia Positiuo-Polemica Artic. III. *Christum* dicit esse *Nucleum*, *Centrum*, & τέλος σκοπιμώτατον, id est, *Metam*, quorsum *omnia spectent in Scripturis*. His addo ex ICtis *Christoph.* BESOLDVM, qui Axiomatum Philosophiae Christianae P. I. edition. Argentorat. de ann. 1628. p. 134. fine addito ait: *Christus est vnicum Centrum*; *omnium renatorum exemplar & norma*. *Is complicat omnes renatos*, *& renati complicantur in Christo*. Nec dubium est, quin plura huius tenoris effata aut testimonia facili possint negotio conquiri.

In S. Scriptura vero, etsi τὸ κέντρον s. *Centri* nomen non nisi sub notione *Aculei* aut *Stimuli* occurrat: potest tamen, (quod obiter obseruo,) etiam *sub hac ipsa notione* commode ad *Christum* applicari: quando v. g. Actor. IX. 5. & cap. XXVI. 14. *Paulus Christo repugnans* diuinitus prohibetur πρὸς κέντρα λακτίζειν,

λακτίζειν; itemque 1. Corinth. XV. 55. 56. θανάτε τὸ κέντρον dicitur *peccatum*, cui *sanctissima* IESV CHRISTI *iustitia* tamquam *Vitae & Salutis Centrum* merito opponitur. Vt taceam de locis *virtualiter* huc pertinentibus, e. g. Eph. III. 17. & Coloss. II. 7. vbi loquitur Apostolus de fidelibus ἐῤῥιζωμένοις s. *irradicatis Christo*; quos etiam dixeris ἐγκεντριζομένους, si vti liceat vocabulo, quod in sequioris aetatis Graecitate vsurpatum legitur de *surculis vitae arbori centraliter insertis*; inque tali significatu & optime respondet verbis *ipsius Christi* Ioh. XV. 1. sqq.

Aphor. II.

Doctrinam hancce de IESV CHRISTO *totius verae Theologiae Centro* profitenti, reuera non obstat doctrina & sententia illorum, qui potius Articulum de *Deo cognoscendo atque colendo*; vel huius loco Articulum de *hominis peccatoris Iustificatione coram Deo*; vel etiam Articulum de *Deo in carne manifestato*; vel porro Articulum de *beatifica hominis cum Deo per fidem & amorem vnione*; vel denique etiam Articulum de *Ecclesia Dei*, Theologiae verae *Centrum* veluti constituunt: cum horum quidem omnium Sententia, (recte commodeque intellecta,) cum nostra possit facile conciliari.*

* DEVM RECTE COGNOSCENDVM ATQVE COLENDVM, ad Theologiam veram *centraliter* prorsus pertinere: videtur vel *ipsum* Theologiae *nomen*, nec minus eiusdem *definitio*, quam clarissime euincere. Possemq; ego hanc sententiam tanto quidem facilius admittere; cum ipse in *Protheoria Erudit.* p. 603. sqq. *fundamentum* genuinum *omnes*, quibus *tota Eruditio* constat, *quatuor facultates*, (quae Academico vsu sic vocantur,) *ordinandi* atq; *connectendi* vnice in *Cultu diuino* reponendum esse iudicauerim: id quod expendi dignum censuit Vir Celeberr. *Dn. D. Andr. Adamus* HOCHSTETTERVS, in Colleg. Pufendorfian. Exercit. IV. §. XXXVII. p. 202. At vero, cum IESVS noster non modo

do, secundum *diuinitatem suam* spectatus, in ipsa *Sacrosancta Triade diuina*, s. *diuinarum ὑποστάσεων Ternario*, *MEDII* & *CENTRI* rationem veluti obtineat, sed quoque secundum *humanitatem* suam in illud ipsum *diuinitatis centrum* aeterna & hypostatica *vnione*, arctissimo & nunquam dissolubili nexu, ita fuerit *assumtus*, vt *Deus* extra *Christum* Θεάνθρωπον nec *velit*, nec *possit debeatque* reperiri, eoque nec *cognosci* nec *coli*, vti B. noster LVTHERVS hoc in quamplurimis locis, tam vere pieque, quam eleganter ac nervose est professus: apparet hoc ipso, nostram sententiam adhuc in saluo esse.

IVSTIFICATIONEM HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO, esse *Centrum Christianae fidei*, & *Lydium lapidem*, *dignoscendi Haereticos & Sectarios a vere credentibus*: defendit in singulari Dissertatione inaugurali Vir celeb. *Dn. D. Salom.* DEYLINGIVS, Praeside *Dn. D.* NEVMANNO habita Vitemb. 1707. suamq; sententiam verissimam, (his ipsis adductis verbis in *Dissert. titulo* expressam,) ex testimoniis cum *S. Scripturae*, tum quoque *librorum* nostrorum *Symbolicorum*, nostrique speciatim LVTHERI, egregie prorsus illustrauit. At vero cum & hic articulus, qui merito dicitur *praesidium* atque *palladium Ecclesiae*, omnem *suam*, quam habet *vim*, (quod ipse Vir doctus non potest diffiteri,) non nisi *ex Christo* habeat, isque tantum ideo tam *arduus* & *momento sus* sit habendus, quod *viam* atque *modum*, quo *Dei Christique* participes *certissime* reddimur, in *sinu suo* omnium maxime *comprehendat*: apparet denuo, sententiam hanc à nostra, *respectu ipsius rei*, haud esse alienam.

MANIFESTATIONEM DEI IN CARNE, (sen *Incarnationem Filii Dei aeterni*, & *Verbi* eiusdem *hypostatici*,) *CARDINEM* esse *Religionis Christianae*, eiusque *vere Centrum* & *punctum omne*, verissime docuit *Magnif. Academ. Tubing. Cancellar. Dn. D.* IAEGERVS, in Systemat. Theolog. Dogmatico-Polemic. nuperrime edito, L. II. p. 6. hoc ipsum in *Praefatione*, (Libro huic praemissa,) *pluribus* elegantissime declarans, ibidemque ostendens, quod *inter omnia opera Diuinae Maiestatis* nullum *illustrius*, nullum *maius*, nullumque *salubrius*, reperiatur. At vero, cum & ipse sublimis hic articulus *omnem* suam *vim* denuo accipiat *ex Christo*, & *viam* solummodo ostendat, qua primum *Christus* ad opem salutemque ferendam *nos* miseros homines accessit; quemadmodum alter de *Iustificatione* articulus *viam* ostendit, qua *nos* primum queamus ad *ipsum* etiam accedere: haud erit obscurum, quod & ista summi Viri sententia, cum nostra quam optime conspiret.

VNIONEM HOMINIS PER FIDEM ET AMOREM CVM DEO BEATIFICAM, videntur *centralem* Theologiae facere, qui cum MYSTICIS, & mysticae Theologiae amatoribus, omnia videntur ad hunc Articulum referre.

Nec diffiteri possumus, (si modo *amor* hic cum *fide* coniungatur *tamquam fructus fidei, & absque ratione meriti humani*, ac *fides tantummodo* spectetur vt *manus*, gratiam diuinam *absque vllo nostro merito* oblatam apprehendens,) rem ita se habere; adeo, vt quoque Theologorum omnium consensu *Theologia perfectissima*, quae non tam *Viatorum*, quam *Comprehensorum* esse dicitur, *nomine*, (omnem Theologiae perfectionem breuiter exprimente,) *Vnionis Theologia* idcirco soleat vocari. At vero, cum *Deo* non possit vniri *Homo*, nisi per *Mediatorem* inter *Deum* & *Hominem*, eoque *Christo perfectissime vnitus* etiam *Deo perperfectissime* hoc ipso *vniatur:* iam satis confectum esse reor, quod & haec sententia probe intellecta, a nostra non discedat.

ECCLESIAE NOTITIAM ET AGGREGATIONEM, ad *Centrum Theologiae* videntur referre PONTIFICII, qui hunc articulum ad fidem salutemque faciunt *adeo necessarium*, vt *articulum de Christo nihil prodesse* sine *articulo de Ecclesia* existiment. Citat hanc in rem *D. Matth.* HONCAMPIVS, in Iustific. Apolog. Scr. S. & S. S. Patrum, aduersus censuram *Ioh.* CLERICI, p. 17. locum quendam *S.* FVLGENTII ad *Petr.* DIACONVM de fide: *Firmissime tene*, inquientis, *& nullatenus dubites, quemlibet Haereticum, siue Schismaticum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizatum*, si *Ecclesiae Catholicae non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari.* At potest & haec sententia, recte vereque intellecta, cum nostra facile conciliari. Est enim vera Ecclesia *Corpus Christi mysticum:* & *huic* qui aggregatur, *Christo* aggregatur. Sed *potest* tamen *verae Ecclesiae* nemo *nisi per Christum aggregari*: cum potior semper sit respectus *Capitis* quam *Corporis*. Quare verius diceretur, *Articulum de Ecclesia*, (cui vel *caeca obedientia se submittere* Pontificius iste, alias doctissimus, *non pudori*, (vt ipse c. l. profitetur,) sed *honori* sibi ducit,) *nihil prodesse sine Articulo de Christo*, quam *Articulum de Christo*, (quo *nostra obedientia* Ecclesiae debita efficitur *videns & minime caeca*,) nihil *prodesse sine Articulo de Ecclesia*. Haec enimuero est tantum *societas credentium*; sed *non illud ipsum*, in *quod credimus*. Deinde necesse quoque est, vt *Ecclesia*, cui aggregari quis debeat, sit *vera:* quod esse profecto non potest, *nisi per Christum*, datumque *debitum* huic glorioſissimo suo *Capiti honorem*. Quare *Romana* quidem *Ecclesia* non potest tueri *verae Ecclesiae* nomen, si quidem *Christum* honorem suo priuans, ex *Christo Capite* facit *Ecclesiae membrum*, ex *Papa* autem *Ecclesiae membro* facit *Ecclesiae caput*; & *membrum eum* esse negat: quod inconueniens insigne exprobrat Bellarmino *D. Salom.* GESNERVS, Tom. II. de Conciliis pag. 778.

Confirmat de caetero sententiam nostram etiam *Franciscus* GEORGIVS, *Vene-*

Venetus, Minorita, in libro singulari de *Harmonia Mundi*, edit. Venet. 1525. fol. statuens Cantici I. Tono VI. HOMINEM esse *Vinculum Rerum creatarum omnium*: sed addens, *earum Circulum fuisse apertum, vsque dum CHRISTVS assumeret humanam naturam.*

Aphor. III.

Eidem huic Doctrinae etiam non obstat doctrina & sententia eorum, qui modo loquendi siue *Biblico* siue *Ecclesiastico* vtentes, IESVM CHRISTVM vel *Lapidem Ecclesiae angularem*, vel *fidei Christianae Basin* aut *Fundamentum* vel quoque illius *Inceptorem* & *Perfectorem*, vel *vitae salutisque nostrae Ducem*, vel *Christianismi totius Cardinem* aut *Animam*, vel porro *totius S. Scripturae, omnisque praedicationis salutaris Scopum*, eiusque *Summam, Nucleum*, aut *Neruum*, vel *orbis Christiani Solem* atque τὸ πᾶν, vel denique *Ecclesiae Caput, fidelium-que omnium Asylum* aut *Palladium*, appellare, vel *aliis quibuscunque* id genus *elogiis* aut *titulis* solent eum merito ornare atque commendare: cum nostra haec praesens appellatio cum istis omnibus optime conspiret, suaque emphasi caeteras fere omnes complectatur. *

* Ne mihi iam negotium facessam, inquirendis aut citandis AVTORIBVS compluribus, qui *hanc* vel *illam* de Saluatore nostro *loquendi rationem*, in Aphorismo praesenti *secundum* vel *extra* sacras Literas adductam, vsurparunt: sufficiat, tantummodo ostendere, quod *omnes illae loquendi rationes* cum nostra hac praesenti optime conueniant, eademque caeteras fere omnes emphasi sua comprehendat.

LAPIS itaque ANGVLARIS, secund. 1. Petr. II. 6. isque ἐκλεκτὸς καὶ ἔντιμος, (quod B. *D. Gottfr.* OLEARIVS cum in tractatu germanico de IESV vero Messia, tum quoque in obseruatione LXV. ad Euang. Matth. praeclare prorsus ostendit,) est certe habendus *sanctissimus Saluator noster*. Ast, sicuti *angularis Lapis*, quo Domus innititur, est *per id ipsum* talis, quod *omnia* eius *extrema* concurrant in *angularibus* eiusdem *punctis*, quae eo ipso sunt dictis omnibus extremitatibus veluti *centrales*; ita quoque *de hoc* prorsus *diuino angulari lapide*, in quo suam Deus Ecclesiam fundauit, est id ipsum pariter dicendum.

BASIS porro & FVNDAMENTVM *Christianae fidei* est *Christus*, secundum 1. Corinth. III. 10. 11. At vero & *Fundamentum* habet se veluti *centraliter* ad illa omnia, quae ipso, ad *aequilibrii* rationem, innituntur. Id quod pariter dicendum quoque est de CARDINE, qui *Centrum* & *Axin* praebet illi, quod circa illum vertitur: itemque de SCOPO, in quo tanquam *Centro* conueniunt *collineantes* omnes: nec minus de SVMMA, quae *Apex* est *centralis* omnium suorum *extremorum*: itemque de NVCLEO, qui *Centrum* semper est *illius*, cuius est Nucleus; sicuti & *Principium* NERVORVM est *Centrum* caeterorum omnium: perinde etiam ac SOL, (praesertim secundum *Systema*, quod amplectuntur cum *Copernico* recentiores,) est *Centrum orbis vniuersi*; itemque DVX *Exercitus* est *Centrum*, in quod *omnium* sub ipso militantium *oculi* perpetim *conuertuntur*; non aliter, ac *Membra* quoque CAPVT suum veluti *centraliter* respiciunt; & *partes* cuiusdam *regionis* CASTRVM suum atque PROPVGNACVLVM. Quo etiam pertinet, quod ipse glorioſissimus Saluator noster Apoc. I. 13. ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν s. in MEDIO *septem Ecclesiarum typicarum*, (vniuersalem Ecclesiam repraesentantium,) tanquam *ipsarum Centrum* dicatur *ambulare*. Cui non obstat, quod Apoc. I. 8. seipsum esse dicat A & Ω; quae graeci alphabeti sunt *extrema*: quia hoc potius confirmat, *tale* Christum esse *Centrum*, quod ad *Extrema* quoque, tametsi *remotissima*, omnipraesenti sua virtute se extendat. Addo, quod nec illi nobis obstent, qui MYSTICORVM & PATRVM quorundam loquendi ratione, *Hominem* reuocant ad CENTRVM ANIMAE. Hoc ipsum enim *Centrum* debet CHRISTVS & *esse*, & *inhabitare*, Eph. III. 17. de quo legi meretur supra citatus ICtus, *Christoph.* BESOLDVS, Axiomat. Philosoph. Christ. Part. I. p. 57. sqq.

Aphor. IV.

Quamquam & pro verissimo sit agnoscendum, quod *Saluator noster IESVS CHRISTVS*, praecipue

cipue & maxime proprie in *Theologia hominis lapſi, Deoque reconciliandi*, pro articulo *centrali* debeat haberi: non tamen a *Theologia hominis integri*, (quae dicitur *Paradiſiaca*,) nec etiam a *Theologia hominis lapſi, extra plenam ſalutis viam adhuc conſtituti*, (quae *Naturalis* dicitur,) penitus eum excludendum eſſe; (ob rationem mox ſubiiciendam,) *certo modo & reſpectu, ſaluaque caeterorum*, qui diſſentire videantur, *Theologorum noſtratium* ſententia recepta, iudicamus. *

* THEOLOGIAM PARADISIACAM ratione *Obiecti* eandem eſſe *cum Theologia Chriſtiana*: negat prorſus *R. D.* RVDRAVFIVS *noſter*, in Protheor. Theol. General. Sect. II. Quaeſt. 9. Addens hanc rationem: quia *illa* non *tradebat Chriſtum*, neque *ſacrificia Chriſtum adumbrantia*, non *item agebat de peccato originali* aut *lapſu hominis*, non *de iuſtificatione per fidem in Chriſtum*, non *de Sacramentis*, aut *poteſtate clauium*, non *de poenitentia*, non *de ſcandalis* aut *calamitatibus*, non *de praedeſtinatione facta in Chriſto*, aut *de iudicio, morte, mortuorum reſurrectione*: relinquens illi proinde *articulos tantummodo caeteros*, vtpote de *Deo*, itemque de *Angelis, creatione, imagine*, & *prouidentia Dei, Eccleſia, Lege, Magiſtratu Politico*, &c. ac prouocans denique ad conſenſum Theologi Summi *D. Abrah.* CALOVII, qui contra *Oſiandriſtas, Photinianos, Scholaſticos*, & inprimis *Scotiſtas*, quosdamque *Caluinianos*, (MESSIAM in *Statu* quoque *integritatis venturum fuiſſe* affirmantes,) Syſtemat. Theolog. Tom. I. Prolegom. Quaeſt. 3. pag. 22. id ipſum etiam negauit. Idem ſentit *D. Hector Gottfr.* MASIVS, in Summa Theol. Polem. Diſp. praelim. §. IV. & plures alii. Quae omnia, *eo* quidem *ſenſu & reſpectu*, quo fuit hoc a noſtris hiſce Theologis negatum, & ipſe agnoſco ſe rectiſſime habere. Pertinentque huc verba AVGVSTINI ſuper Iohann. *Nulla cauſa veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt cauſa medicinae.* Atque alibi in Sermonibus de verbis Apoſtol. *Si homo non periiſſet, filius hominis non veniſſet.*

At vero cum negari etiam haud queat, hominem ad *diuinam imaginem*, atque ad *communionem cum Deo beatificam* ſingulariter *creatum*, etiam cum

Filio

Filio Dei aeterno, qui secund. Hebr. I. 3. *essentialis* est *imago Patris*, (tametsi is neque sub ratione *Medici*, quod AVGVSTINVS negauit, neque sub ratione *Sponsi*, quod OSIANDER iuit assertum, fuisset incarnandus,) *communionem istiusmodi* fuisse habiturum: apparet, quod *hoc* saltem *respectu* possit IESVS noster ad *Theologiam* quoque *Paradisiacam* referri. Audiamus Virum absque controuersia Orthodoxum, *B. D. Iust. Christoph.* SCHOMERVM, qui in Programmate inuitatorio ad Disputationem solenn. infra memorandam, *verissime* hunc in modum scribit: *Non quidem ad omnes coelestis doctrinae partes pari modo concurrit Christus.* Alia *hominis integri ratio est*, alia *reparati*: ille *non indiget Mediatore*, hic *indiget*. Iam porro addit: *illi articuli*, qui *naturam Dei, rerumque creationem & gubernationem exponunt, aeternam Deitatem Filii in se concludunt*; reliqui *incarnationem eius & meritum*: & sic *vtrique Christum*; quamuis *non qua Christum. Peccatur tamen vbique contra eundem*: cum *in* alterutra *illorum classe peccatur.* Christus *Deus est, Dei Filius & character, creator, rector omnium, vna cum ipso Patre; eiusque laeditur peccato dignitas; sicuti & Patri idem Redemtor est, in quo redemtio, vocatio, absolutio, adoptio, renouatio, salus denique nobis competit; quem Euangelium, quem Scriptura S. narrat, in quo Sacramentorum vis & veritas consistit*; verbo: *omnia est in omnibus.* Quibus prolatis commendat Vir B. *Dissertationem*, cui tum Praesidium suum commodauit; in cuius §pho 16. *sequentia* huc pertinentia leguntur Verba: *Haec quidem verissima sunt, Christum Deum & Hominem, & vt Mediatorem consideratum, non influere in hunc*, (scil. de Creatione ad Imaginem Dei,) *Articulum*; *vtpote cum Mediator non opus fuerit, quando homo nondum lapsus erat. Attamen quo iure λόγος creator hominis dicitur, eo iure etiam homo ad imaginem eius, qui Deus est, dicetur creatus.* Paria his fere sunt, quae Vir celeb. *Dn. Ioh.* TRELLVND, Theologus Profess. Hafnienſis, in speciali Dissert. de *Theologia Paradisiaca*, s. *Fide Hominis integri*, publice proposuit ann. 1707. concedens tamen certo modo *potentialem* Adami *in Christum fidem*, & *potentialem* Filii Dei *incarnationem*, negans vero absque interuentu lapsus *actualem*: additque §. X. suffeciſſe Adamo integro, *Filium Dei*, si non vt θεάνθρωπον, tamen vt φιλάνθρωπον, si non vt *Fratrem*, tamen vt *Patrem*, si non vt *Mediatorem* inter *Deum* & *Hominem*, tamen vt *Medium* inter *Patrem* & *Spiritum Sanctum*, agnouisse.

NATVRALIS porro THEOLOGIAE a *Christiana Theologia differentiam insignem*, eiusque ad *Deum colendum hominemque saluandum insufficientiam*, ad huius capitis Aphor. I. pag. 46. ipse iam satis declaraui, inque eo OMNES *nostros* THEOLOGOS consentientes habeo. At vero, cum vel ipsa summa *paupertas* & *insufficientia* Theologiae naturalis possit *hominem*, recte sibi attendentem, quo-

dam-

dammodo conuincere, quod *ad solidiorem Theologiam* alia *via* ipsi *opus sit*; sicque illa aliquo modo *vsum* sui praebeat *paedagogicum*, vt proprio conatu *delassatus* ac *fatigatus homo*, secundum Matth. XI. 28. (quod tamen insigni eum distinctione huc accommodandum esse dixetim,) *Christum* eum *euocanti* tanto libentius accedat, sicque *Christus* ibi *incipiat*, vbi *illa desinit*: existimo, iam rationem suam constare *nostro asserto*, quod est in Aphorismo propositum. Atque huc quidem pertinet Tractatus insignis *B. Vinc.* PLACCII, qui inscribitur *Philosophiae moralis plenioris fructus praecipuus*: qui est, *agnoscere illius ope, Philosophiam non sufficere beatitati solidae vlli constituendae, nedum acquirendae; Reuelationem vero diuinam ei necessariam, certisque signis,* (in sola *Religione Christiana* deprehendendis,) *a falsa qualibet superstitione distinctam, non posse non existere*: carptus gustuique publico ab Autore expositus Helmst. 1677. 8. dignusque omnino, qui a pluribus legatur. Quae vero apud *Tobiam* PFANNERVM in Systemate Theolog. Gentilis purioris, *aliosque* huc pertinentes *Scriptores*, de *notitiae Christi & inter gentiles deprehensae vestigiis* leguntur; ea, cum ista naturali lumini accepta ferri nequeant, etiam non esse huius loci, in aprico est.

Aphor. V.

Lucem proinde atque robur ex *hoc* prorsus *centrali articulo* de *IESV CHRISTO*, accipit non solummodo doctrina de *totius verae Theologiae naturae atque indole*; deque *S. Scriptura*, tanquam *principio* a Deo nobis specialiter *concesso*, ad omnia ea, quae vere Theologica sunt, exinde cognoscenda: sed quoque *omnes reliqui Articuli speciales*; ad *tria capita* maxime *insignia*. videlicet *Theologiae* speciatim *dictae*, tum *Christologiae* & *Anthropologiae* (secundum insignem locum 1. Tim. II. 5.) commodissime referendi. *

* Doctrinam de Verae THEOLOGIAE NATVRA atque INDOLE ex

vera cognitione Saluatoris nostri maxime illustrari; potest quidem iam satis e superioribus constare. Sed erit tamen fortasse non ingratum, *pluribus* adhuc *obseruationibus* hoc ipsum declarare. Non dicam iam de *ipsius Christi Theologia*, quae, (vti Systemata docent,) potest *diuerso respectu* & ἀρχέτυπος & ἔκτυπος haberi. Non enim nobis hic sermo est de *Theologia*, per quam *ipse Christus* sit veluti *Theologus*; sed de illa iam loquimur *Theologia*, quae potius *Theologia* sit per *Christum*, h. e. cuius *Christus* non est *Subiectum*, sed vt *Obiectum* potius spectari potest. Hoc autem respectu ex ANTIQVITATE ECCLESIASTICA satis notum est, quod a priscae Ecclesiae *Patribus* cognitio de IESV Christo adeo ad *Theologiam* fuerit relata, vt & *Iohannes* in Apocalypseos inscriptione ideo κατ' ἐξοχὴν *Theologus* vocatus sit, quod *gloriam* τῆ Θεανθρώπε *nostri* prae caeteris Apostolis insigniter *agnouisse* & *praedicasse* videatur; & *alii* etiam propter *hoc ipsum* Θεολόγοι atque Θεολογοῦντες sint *specialiter* vocati: qua de re non modo apud SVICERVM in *Thesauro Ecclesiastico*, sed etiam apud *Systematicos*, & speciatim *Dn. D.* HEBENSTREITIVM, (quitamen System. Parte I. p. 5. quod possit *ipse Christus Theologus vocari*, haud concedit,) *Veterum Scriptorum loca* sunt diligenter annotata; quibus etiam supra, (Sect. I. Aphor. II. p. 5.) ex EVSEBIO adductus locus commode est accensendus.

Sunt quoque, qui insigni loco 1. Timoth. III. 15. per τὸ ἑδραίωμα καὶ ϛύλον τῆς ἀληθείας, volunt nihil aliud, quam *Saluatoris nostri* ἐνσάρκωσιν, huiusque *mysterium*, (de quo l. c. v. 16. Paulus loquitur,) intelligendum esse: ceu patet ex iis, quae ad illustrem hunc locum a Viris doctissimis *D. Thom.* ITTIGIO, in appendice Exercitatt. Theolog. num. I. p. 724. sqq. & *D. Salom.* DEYLINGIO Observation. Sacrar. Part. I. (num. XLVI. p. 187. sqq. sunt exquisite annotata. Et quaeso, quidni ille articulus *omne in Theologia punctum* conficiat, quem *totius verae Theologiae Centrum esse* iam probauimus.

Multa huc *pertinentia* subministrabunt, qui de *Religionis Christianae veritate* atque *excellentia* scripserunt; quorum iam supra (Sect. I. Aph. VII. p. 24. sq.) a nobis est iniecta mentio. Quicquid etiam APOSTOLI praedicarunt; *Christus* fuit: fuitque *haec* ipsorum *Methodus*, & *Gentiles* & *Iudaeos* conuertendi, vt *Christi cognitione* eos imbuerent: Id quod ansam quoque dedit *errori* HOBBESIANO, *vnicum* tantummodo *articulum credendum* statuenti; de quo infra erit adhuc dicendi locus. Loquuntur atque testantur dignitatem huius articuli *omnium aetatum* CONFESSIONES atque SYMBOLA. Imo vero vel ipsi PSEVDO-MESSIAE, pessimique IMPOSTORES, id sibi *maxime* vendicantes, quod in Theologia *maximum* erat; itemque vere proprieque tales ex *vario genere* HAERETICI, & inter eos pessimi HAERESI-

ARCHAE,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0070
DFG

ARCHAE, *maximum* hoc quam *maxime* impugnantes atque temerantes, sed nihil tamen in hunc vsque diem reportantes, *testes* vel *inuiti* de huius articuli dignitate extiterunt. *Nullus* quoque est *Articulorum*, quem *ipse Cacodaemon*, (PROTEVANGELII aduersus se expertus complementum,) *magis formidat*, quam *hunc ipsum*. Hoc enim & *Satanas*, & *Mundus*, & *Mors*, & *Infernus*, atque etiam, (in quo *caetera omnia* praesidium suum habent,) *Peccatum*, potest superari; ipseque DEVS *tentans* vel *condemnans* vinci; adeo vt vere pieque dixerit LVTHERVS, hunc *ipsi Deo opponi posse*. Hoc cum Articulo *stante* aut *cadente* statque caditque *Ecclesia*: atque hoc etiam *Lydio lapide* possunt Christiani & Doctores *genuini* a *spuriis omnibus* discerni. Cumque supra (ad huius Capit. Aphor. II. p. 51.) citata Dissertatio DEYLINGIO-NEVMANNIANA hoc egregie ostenderit: est certe asserta per eam veritas instar clypei, tot *piis Christumque incorrupte profitentibus Doctoribus* inseruituri, quibus, cum nihil doceant, quod *Christo eiusque cognitioni* sit aduersum, *corruptae* tamen *doctrinae crimen* perperam impingitur. Noui equidem, quod possint secundum 1. Corinth. III. 10. sqq. etiam *pretiosissimo* huic *fundamento* aliqua *inaedificari*, quae ipso *minus digna* sunt: sed nihil tamen hoc decedit *fundamento ipsi*: & vbi hoc *omnino integrum* habetur; fieri haud potest, vt *ipsum admittat se indigna*. Taceo proinde PATRVM PRISCORVM *Testimonia*, vnanimi consensu *fundamentalissimum omnium* hunc *articulum* de *Christo* agnoscentium; quos magno numero citare solent *Doctores Systematici extantiores*; & *omnes*, qui de *Fundamento Fidei* & *fundamentalibus Articulis* ex instituto aliquid scripserunt: quibus, (praeter *Dan.* CHAMIERVM in Panstratia, & *D. Ioh.* GERHARDVM in Confessione Catholica,) addi possunt, qui *colligendis Patrum testimoniis* ex instituto operam dederunt.

Doctrinam de SCRIPTVRA SACRA etiam mirifice illustrat *hic Articulus*: adeo vt *Testimonium de Iesu* Ap. XIX. 10. insigni & raro elogio, *spiritus* aut *anima Prophetiae* appellerur. Cum enim *omnes Prophetae* sec. Act. X. 43 *de Christo testimonium perhibeant*; atque vna cum Prophetis sec. Ioh. V. 39. *Scriptura vniuersa*: mirum sane non est, quod *sine Christo*, tamquam *Claue* & *Anima*, possint nec *Prophetae*, nec *Scriptura reliqua* intelligi: quod clare patet ex Luc. XXIV. 25-32. Estque hoc *non solum* de Libris *propheticis* atque *dogmaticis* accipiendum, sed quoque de *historicis*: id quod praesertim *Petrus* ALLIXIVS in *Reflexionibus* suis, quas vocat, ad *vtriusq; Testamenti Libros historicos* prorsus egregie monstrauit. Cui maximo suo merito iungendus est libellus elegantissimus, Viri, cuius omnia fere Scripra *Christum* unice sapiunt, *Dn. Prof.* FRANCKII, quem supra p. 13. iam in hanc rem citauimus. Vereque iudicat *B. D.* GERHARDVS

HARDVS noſter, in praefamine Diſſert. ſupra p. 32. laudatae, *potiſſimas* Doctrinae *corruptelas* oriri ex *neglecto S. Scripturae nexu*; qui vero ex *vera cognitione Chriſti* ſit *potiſſimum* petendus. Cum qua Viri laudati Diſſertatione meretur etiam ipſius *altera*, quam *Fati Reformati catenam* inſcripſit, nec minus *illa*, quae *Diſcuſſio iactitati ſalutaris in Papatu adhuc integri fundamenti* eſt inſcripta, huc conferri.

Addo his cl. Viri, *M. Ioh. Iuſti* LOSII, (cui Lauream Philoſophicam conſtitutus brabeuta quondam hic impoſui,) Diſſertatio doctiſſima, anno 1709. Halae habita, qua *Hebraeos Veteres Chriſtum Scripturae ſcopum ſtudioſe olim quaeſiuiſſe*, ex *Geneſi* cum *ſcriptis Kabbaliſtico-Rabbinicis* collata, docte commonſtrauit. Cui iungi poſſet eiusdem fere argumenti Diſſertatio *alterius*, (quem eadem Laurea Giſſa noſtra quondam exornauit,) *M. Rud. Mars.* MELFVHRERI, (vtinam non Apoſtatae facti,) de *Conſenſu Veterum Hebraeorum cum Eccleſia Chriſtiana*, edit. Francof. & Lipſ. 1701. An vero ex verbis Pſal. XL. 8. Ἐν κεφαλίδι βιβλίε γέγραπται περὶ ἐμοῦ, probari queat, quod vel *ipſa prima vox Geneſeos*, (quod certa ratione haud negauerim, dummodo *in ipſa voce* non quaeratur) de *Chriſto* ſit *intelligenda?* allata doctiſſima ratione negat Vener. *Dn. D.* MAIVS noſter, Diſſert. SS. ſeu Theol. Prophet. Loc. I. c. I. §. 9. conferendo cum §. 21.

De ARTICVLIS vero THEOLOGIAE SPECIALIBVS, quarum *tripartitam rationem*, (ab hodierna *foederali Methodo* haud alienam,) ſecutus eſt *D. Balth.* MEISNERVS, & ALII *quidam*, quos nominat celeb. *Dn. D.* RVMPAEVS, Inſtitut. Metaphyſ. Sacr. cap. III. §. 2. p. 21. dicemus quaedam ad aphoriſmum mox ſequentem.

Aphor. VI.

Ad comprobandam Articuli de IESV CHRISTO *centralem*, quam ad *Theologiam vniuerſam* is habet, *rationem* vel *reſpectum*, cum *ſpeciali* quoque *Articulorum Principaliorum omnium* h. l. opus ſit *Inductione*: non quidem pro huius praeclari argumenti *exigentia*, veruntamen pro huius inſtituti *indigentia*, aliqua ſaltem ad hunc ſcopnm facientia opus eſt adhuc ſubiicere. *

* Non

* Non patitur Argumenti huius praeclari *amplitudo*, vt possit INDVCTIO illa *designata* hic tam *institui*, quam saltem *indicari*. Suppetias tamen hic possunt ferre ALII, qui laudabiliter in eo sunt versati; tametsi admodum *pauci*: adeo, vt mirum fere sit, tam paucos id excoluisse. Nominanda nobis hic primo loco est, iam supra pag. 3. citata atque commendata *Magnif. Dn.* PRAESIDIS Dissertatio, de *Spiritu Christum glorificante:* quae ideo quam maxime huius loci est, quia & citat *maxime diuinum* huius rei *testem*, & quoque per *haud paucos* fidei *Articulos*, breuibus quidem, sed neruosis tamen & suciplenis *obseruationibus* ostendit quomodo *Spiritus S.* Scripturae Autor, *Christum in fidei dogmatibus glorificet*. Huic addi potest iam aliquoties citata Dissertat. DEYLINGIO-NEVMANNIANA, quae dogma de *Iustificatione*, (in quo Christus est praecipue conspicuus,) per *caeteros* etiam *articulos* deducit, & plura exhibet huc facientia. His iungere etiam licebit *B. D.* SCHOMERI praesidio testimonioque publico *probatam & laudatam* Dissertationem elegantem, superius adducti *Dn. D. Ioh. Wilh.* PETERSENII, quae agit de *Christo*, in *catenam fidei perpetuo influente*, & habita Rostoch. ann. 1686. est *illa ipsa*, ad quam supra pag. 56. *B. D.* SCHOMERI *verba quaedam* allegantes, respeximus. PLVRES vero, qui aeque *argumentum* hoc tractauerint, hucusque mihi non datum fuit comperire. Sed vt de nostro tamen *paucula* tantummodo subiiciamus: specialis quaedam instituti nostri iubet ratio; *plura* fortasse alio tempore, si Deus diesque tulerit, daturi.

Non dicam iam de *illis Articulis*, qui, (cum ad CHRISTOLOGIAM propinquiori pertineant respectu,) *per se ipsos*, & *manifesto satis nexu* cum hoc articulo cohaerent, eumque, *spectatum* in suis partibus & *essentialibus* & *integralibus*, maxime proprie constituunt. Quales certe sunt omnes, quae de *Persona & Officio Christi*, deque eius *Statibus*, *Actibus*; *Effectibus*, & resultantibus exinde *Attributis*, (quo pertinet e. g. *Fragrantia Christi*, a cel. Dn. D. BVDDEO speciali Dissertatione illustrata,) nos informant. Promissi vero superioris, (ad Sect. I. general. Aphor. IV. dati,) memores, de *specialiori nexu* inter articulum de DEO & articulum de CHRISTO est breuiter aliquid dicendum: vt nempe tanto magis constet, qua ratione *saluo ipsius Dei honore* possit ille *centrum Theologiae* appellari.

Est sane aliquid prorsus admirandum, quod *Diuino Numini* visum ita fuerit, ne *Homini lapso* sine *hac* per Christum *via* ad *Deum aditus daretur*: adeo, vt, sicuti *Deus non vult extra Christum inueniri*, sic quoque *non velit nisi in Christo & per Christum adorari*. Pertinetque huc insignis & rari argumenti Dissert. *B. D. Gottfr.* OLEARII de *adoratione Dei Patris per IESVM CHRISTVM*,

publice propos. Lipſ. 1708. qua argumentum hoc ex *Scriptura* & *Patribus* egregie prorſus illuſtratur; ad quam breuitatis ergo liceat hic prouocare. Cui etiam addi poteſt Diſſert. doctiſſ. *Dn. D.* ZIEROLDI, de *Nexu communionis noſtrae cum Deo*; ſub Praeſidio BREITHAVPTIANO, Halae 1698. publice propoſita.

Cumque hic meminerim, ab ILLVSTRI quodam VIRO dubium mihi aliquando motum eſſe, quare in toto *Cantico Canticorum* ne ſemel quidem *Dei mentio* initiatur? quo certe anſu poſſit dari ad *profanam* quorundam *ſuſpicionem* roborandam, qui *amatorium* quoddam *Salomonis poëma* videntur ſibi in libro hoc deprehendiſſe, eiusque hoc nomine Θεοπνευςίαν auſi ſunt in dubium vocare; praeſertim, cum illud *nuſquam* in toto nouo Teſtamento *allegari* videas: fateor, occaſionem mihi *dubium hoc* praebuiſſe, profundius de eo cogitandi, & deprehendi, non poſſe ſolidius id ipſum ſolui, quam ex *profundiori meditatione* ſuper *nexu articulorum* de *Deo* atque *Chriſto*.

Profecto eſt *res* plane *ſublimis*, quod tanto honore *Deus* in *Chriſto* dignatus eſt *humanum genus*, vt (ſupra omnem rationis ſibi rel ctae captum,) in *humana carne manifeſtari*, & hac *ſua* ἐνσαρκώσει, modo prorſus ſingulari, id *ipſum* ſibi *vnire* voluerit: quod *tantum* Petrus vocat *myſterium*, quod *Angeli* quoque *concupiſcant introſpicere*. 1. Petr. I. 12. collat. cum Hebr. I. 3. 4. 5. ſqq. Dicitur item *Deus* proprio *ſuo ſanguine* Eccleſiam ſuam *ſibi comparaſſe*, Actor. XX. 28. eamque ſibi tanquam *ſponſam* in Chriſto *vendicaſſe*, Eph. V. 23-32. Hic clauem habemus, quare Deus in *Cantico Canticorum*, (quod vtique eſt *amatorium poëma*, ſed *diuiniſſimum* certe atque *ſanctiſſimum*,) non qua *Deus*, ſed qua Θεάνθρωπος, h. e. tanquam *Sponſus* & *Amaſius humani generis*, per SALOMONEM diuinitus inſpiratum, ſeſe reuelauerit: nec improbabilis eſt coniectura, quod *Salomo eo* fortaſſe *tempore*, quo de ante actis *amoribus minus caſtis* poenitentiam egerit, animumque geſſerit *diuinis* iam *amoribus* repletum, diuino inſtinctu id conſcripſerit. Horum enim clariſſima veſtigia, (quibus ad *altiora*, & *in profanos amores* haud *quadrantia* in hoc *Cantico* ducamur,) deprehendimus in variis eiusdem locis: e. g. in capite praeſertim V. commat. 2 & ſqq. nec non cap. VI. 12. quod comma prae aliis meretur obſeruari; eo, quod ad *locum ſingularem*, Geneſ. XXXII. 1. 2. ſatis aperte videtur ſe referre. Sique Cantici cap. V. conferatur cum Eſa. LXI. 10. aliisque locis ſimilibus, nec non cum citato capite V. ad Epheſios, & c. III. Apoc. com. 20. itemque Cantic. III. 11. conferatur cum Matth. XXV. 1. ſqq. ac totum Canticum cum Pſ. XLV. qui ſine *omni dubio*, (ſi *quendam* deterioris notae *Criticum* excipias; de quo conf. Clar. Viri *Dn. Mich.* LILIENTHALII ann. ſuper. ἀνωνύμως edita *Selecta Hiſtorica & Literaria*, Obſ. IX. §. I.) ad *Meſſiam* & *Eccleſiam* ſpectat, & ad *ſpirituale* vtriusque *coniugium*: haud erit amplius obſcura

obſcura *illius* in N.T. *allegatio implicita*, atq; *diuina* prorſus & *myſtica* huius *Libri ratio*, a *Chriſtianis* eiusdem *interpretibus* (quibus HIERONYMVS ſingulariter praeiuit,) agnita & expoſita, eaque ſatis iam oſtendens, quare non modo *Cantici Canticorum*, ſ. *praeſtantiſſimi Cantici* in fronte nomen gerat, ſed etiam in *Eccleſia Iudaica* tanta iam olim absque vlla controuerſia polleat *autoritate*, vt קודש קדשים ſeu *ſanctitas ſanctitatum*, (h. e. *ſanctiſſimum* & *plenum myſterii carmen*,) appelletur, ſitque & inter *Canonicos S. Scripturae Libros* ab ipſa *veteri Eccleſia Iudaica* repoſitum, tantaque in *Veneratione* habitum, vt non niſi *maturae aetatis homo* ad *eius lectionem* fuerit admiſſus.

Vbi adhuc ſimul in mentem venit ſingularis Diſſertatio *Dn. D.* ZELTNERI de *Euangelio* τετραγραμμάτῳ *e N. T. exulante*; edit. Altdorf. 1712. Cuius *ſcopus* eſt, (ſi recte aſſequor,) oſtendere, quod, propter hanc ipſam rationem myſticam *eſſentiale Dei nomen* יהוה in N. T. *plane non occurrat*; eo, quod Deus non tam amplius *in ſeſe*, quam *in Chriſto* humano generi voluerit ſe exhibere. Quae doctiſſima Diſſertatio etſi multis *praeclaris* & *ſingularibus obſeruationibus* ſcateat; in *praecipuo* tamen *argumento* quaedam mihi adhuc dubia reliquit: eo quod ex *vſu Verſionis ſeptuagintauiralis*, quae nomini יהוה κύριος nomen, (quod facit etiam N. T. *Syriaca*,) ordinarie ſubſtituit, id ita videatur euenisſe, vt nomen iſtud *eſſentiale Dei*, (a cuius pronuntiatione Iudaei ſolebant abſtinere,) *nusquam* in N. T. vſurpetur: quam in rem Diſſertatio celeb. quondam Theologi Lipſienſ. *Dn. D. Ioh. Bened.* CARPZOVII, *de legitima nominis* τετραγραμμάτου *lectione*, edit. Lipſ. 1672. fortaſſe merebitur conferri.

Vnum adhuc addo, quod etiam in ALIIS ARTICVLIS interdum praeter ſpem aliquid reperiatur, quod ex *Articulo de Chriſto* eiusque *vera cognitione* poſſit illuſtrari. Sic enim v. g. *circa articulum* de CREATIONE inſignis a quibusdam committitur *error*, (qui etiam *Iſidoro Chariſio* LOGOTHETAE, Theologiae in numeris Autori, ex locis quibusdam male intellectis, quod etiam in aliis factum, falſo a quibusdam fuit imputatus,) ac ſi *eſſentia Creaturarum ex ipſa diuina eſſentia fluxiſſet*. Qui error veterem *Stoicismum*, ac *Spinozismum* quodammodo ſapiens, ex *vera Chriſti cognitione* ſolide poteſt confutari: cum *haec praerogatiua ſoli* competat *aeterno Dei filio*, atque *Creaturarum eſſentiam* cum *diuina confundere* nullo modo deceat. Sic, vt vel *vno hoc exemplo* poſſit apparere, quomodo *vera & perfecta Chriſti* cognitio etiam in POLEMICA THEOLOGIA *vſum* habeat *ampliſſimum*, & per *vniuerſam Haereſiologiam* ſeſe latiſſime diffundat. Id quod obiter hic monuiſſe, iam ſufficiat.

CAPVT

CAPVT III.
De IESV CHRISTO, spectato vt Religionis verae Panto-mysterio.

Aphor. I.

PAntomysterium Religionis verae, qui *Saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM* vult agnoscere & profiteri: eum nosse primum oportet, quid hic *Mysterii* designet nomen; * deinde, quid denotet vocabulum *Religionis*; ** ac denique etiam, qua ratione & respectu possit glorioſissimus, quem diximus, Saluator *Religionis verae Pantomysterium* haberi. ***

MYSTERII *Nomen*, vnde suam traxerit *originem*; nolo iam data opera inquirere. Multa & varia de eo habent LEXICORVM atque GLOSSARIORVM *varii generis* SCRIPTORES; doctis omnibus iam satis noti: quos, cui aut volupe aut necesse est, adire poterit. Recentissima opera in *huius vocis originem* docte ac diligenter fuit inquisitum a clare docto Autore Dissertationis quae de *vsu Mysteriorum fidei in praxi Vitae Christianae*, Praeside celeb. D BVDDEO, proposita est Ienae 1713. ad quam Lectorem cupidum remittimus paucis, quid nobis videatur, iam dicturi.

Magna inter vocem *Hebraeam* מסתר & *Graecam* μυστήριον, (siue *elementa*, siue *significationem* VTRIVSQVE spectes,) est, fateor, conuenientia: sed *neutram* tamen existimo ab *altera* descendere. Manifesta est *Graecae vocis* deriuatio

riuatio a voce μύστης, quam *Res arcanas docentem* aut *tradentem* designare, apud omnes in confesso est. Sitne vero MYSTAE nomen a μύω, an μυέω, an *aliunde*, (eoque a *neutro illorum*,) deriuare magis commodum: aliis dispiciendum iam relinquo. *Prius* tamen videtur & *formationis analogia* confirmare, & probat quoque *Eustathius*, ac *Etymologici magni Autor*; quorum testimonia sunt a SVICERO in Thesaur. Eccles. adducta.

Ad *rem ipsam* quod attinet: certum est, nomen MYSTERII, (perinde ac Hebraeum מסתר) semper designare rem OCCVLTAM: an vero & semper OCCVLTANDAM; dubito: quia dantur *Mysteria*, quae sunt manentque *mysteria*, tametsi *occultari* minus debeant. Nam tale Mysterium esse vel *ipsum Christianismum*; ex Matth. X. 27. manifestum est: licet ad tempus, & ob speciales quasdam rationes, possit quandoque occultari. Ita vt nihil hic praesidii inueniat doctrina papaea de *Arcani Disciplina*, ab *Eman.* SCHELSTRATENO anno 1681. & sqq. singulariter defensa, cui a cel. TENZELIO (aliisque) tum temporis est satisfactum. Quare *duplici respectu* potest aliquid *Mysterium* vocari: vel RATIONE COGNITIONIS, quatenus *occultum*; vel RATIONE TRADITIONIS, quatenus *occultandum* potest denotare. *Vterque respectus* suas denuo admittit *differentias*. Nam quod *RESPECTV COGNITIONIS* est *tale*: potest vel *Sensus* tantummodo, vel *Rationi* etiam occultum esse. *VTRVMQVE* rursus potest *duplici modo* fieri: quatenus nempe vel aliquid potest PLANE SVPRA SENSVM atque RATIONEM esse; ita vt aut *sensu*, aut *ratione*, aut etiam *vtroque* capi nequeat; sitque hoc modo non *Experientiae* aut *Scientiae*, sed tantum *Fidei* ac *Testimonii* obiectum: vel quatenus aliquid potest NON PLANE SVPRA SENSVM atque RATIONEM esse; licet sit *alterutri*, vel *vtrique* eorum, *minus obuium* ac *patens*, eoque *Institutione* ac *Doctrina* opus habeat. Accedit, quod possit & aliquid vel *vni* vel *pluribus*, & inter plures vel *quibusdam* vel *omnibus* occultum esse; possitque *ratio occulti*, vel magis in *subiecto cognoscente*, vel magis in *obiecto cognoscendo* deprehendi; licet, (si ἀκριβῶς velimus loqui,) semper fere in *cognoscente* videatur *ea* potissimum quaerenda. Tum porro, quod *RESPECTV TRADITIONIS* est *tale*: id maxime *ex eo* venit distinguendum, quod a sui cognitione vel *huius*, vel *alterius* generis *cognoscentes* possit excludere; & *ex vno quoque genere* eorum, quos excludit, possit vel *pauciores* vel *plures* etiam excludere: idque vel propter *simplicem incapacitatem*, vel *quoque* propter *indignitatem*; h. e. propter incapacitatem vel *physicam*, vel *moralem*. Quas *omnes differentias* ideo prodest obseruari; vt possit *in ipsa* vocis *applicatione* de quouis *Mysterio* tanto *distinctius* pronuntiari.

Vbi tamen & hoc porro singulariter monendum esse duco, quod *OCCVLTVM* atque *MYSTERIVM* videantur mihi vt *latius* & *angustius* differre: ita vt possit quidem *omne mysterium* haberi pro *occulto*; sed *non* statim *omne occultum* pro *mysterio*. Occvltvm enim, quatenus Mysterivm sit appellandum, semper ad *Doctrinam*, (qua *aperiri* potest aut debet,) videtur *relationem* aliquam inuoluere; ita vt pro *Occulto Doctrinali* possit proprie haberi. Talis MYSTERII ponit *Henricus* Morvs Opp. Theolog. Londini 1675. editorum p. 51. *quatuor PROPRIETATES*: 1.)*Obscuritatem*; 2.) *Intelligibilitatem*; 3.) *Veritatem*; 4.) *Vtilitatem*: quas operosius deinde explicat atque illustrat, ipsique Religioni Christianae applicat: de quibus tamen *requisitis* adhuc essent varia monenda. Sed haec quidem ad huius vocis declarationem h. l. attulisse iam sufficiat.

** RELIGIONIS nomen aliis a *religando*, aliis a *relegendo* vel *religendo*, aliis denique a *relegando* vel *relinquendo*, (quod tamen minime omnium probari potest,) videtur esse deducendum. Quaelibet sententia habet suos *Autores* & *Patronos*, quos apud *Martinum* Martinivm in Lexico Philologico, *Gerh. Ioh.* Vossivm in Etymologico, aliosque huc pertinentes Scriptores, est videre. Quodsi *noua* quaedam *coniectura* foret *his* addenda; esset fortasse dictu haud prorsus improbabile, a *Legionis* vocabulo *id* esse deducendum: ita, vt *Religio* designet *relationem* aut *respectum*, qua quis *suae Legioni* sit *deinctus*, cuius est *commilito*. Id quod in applicatione ad *Religionem Christianam*, se praebet satis commodum. Ad *rem ipsam* vero si attendas: videtur *RELIGIO*, sub *generali notione* spectata, *quamlibet relationem* propriissime *designare*, qua quis *speciali piaque ratione deuinctus alteri habetur*; quae *nullo* quidem in *exemplo* est illustrior, quam in *relatione ista*, quae inter *Deum Hominemque* intercedit, & *fons* est omnium *Officiorum*, quae Deo ab Homine debentur, omniumque & *Beneficiorum*, quae homini a Deo tribuuntur. Vbi tamen & *haec* singularis *differentia* meretur annotari, quod *nomen Religionis*, quod in primo & propriissimo significatu suo ad *Relationis* categoriam referendum est, accipiatur etiam deinde eo modo, vt possit quoque ad categoriam *Actionis* & *Passionis*, (pro religiosa *praestatione* vel *obligatione* sumtum, itemque ad categoriam *Qualitatis*, pro religioso *habitu* acceptum,) saepius referri.

Nos vero hoc in loco *Religionis* nomen accipimus potissimum pro HABITV, quo *aptus* aut *idoneus sit homo*, ad *Deo id praestandum*, quod *Deo ab homine debetur*. Estque meo qualicunque iudicio hic Habitus *Theorico-Practicus*: quatenus nempe circa Deum & *cognoscendum* atque *colendum* versatur.

tur. Nam licet & omnis *Theoria* circa Deum dirigi ad *Praxin* debeat; (quo pertinet supra pag. 64. laudata BVDDEANA Dissertatio; itemque & *duae aliae* Celeb. *Dn. D.* FOERTSCHII de *Pietate secundum scientiam*, quarum prior exhibet *Observationes* de *Theologia ad pietatem dirigenda*; cuius in SPENERIANO & RVDRAVFFIANO *Catechismo* exempla etiam praeclara prostant:) non tamen *Theoria* est cum ipsa *Praxi* confundenda; & ideo *vtrumque* hic videtur esse coniungendum. Ad quaestionem vero, quomodo *Religio* ad *Theologiam*, atque *haec* rursus ad *illam* sese habeat: certum quidem est, quod aliquo modo & respectu *altera alterius obiectum* esse queat; cum & *Theologia* circa *Religionem*, atque *Religio* circa *Theologiam* versari sit dicenda. Cum vero & *vtraque* circa *cognoscendum colendumque Deum* versetur: quomodo debeant hae inter se *distingui*, difficile est fere definitu. Meo qualicunque sensu spectari potest *THEOLOGIA*, (per superius in *praeced. capite* deducta,) vt *intellectualis* quaedam *collectio* circa *Deum cognoscendum atque colendum*; *RELIGIO* autem vt *moralis* quaedam (eaque *habitualiter* hic accipienda) *praestatio* eorum, quae circa *cognoscendum colendumque Deum* requiruntur. Quare ILLA magis vt *aliquid mentale*, HAEC vero magis vt *aliquid legale*, est consideranda; ideoque & ILLA, magis ad *intellectum*, HAEC vero magis ad *voluntatem* spectare est dicenda: quarum *vtraque* si digne fuerit coniuncta; videntur tum quidem non tam *re*, quam *ratione* inter se differre.

*** PANTOMYSTERIVM denique RELIGIONIS VERAE, vocamus h. l. illud, quod *omnia Religionis verae arcana*, (si non *formaliter*, saltem *virtualiter*,) in se *complectitur*; adeo, vt *in suo sinu* illa *omnia contineat*, sintque & *omnia ex eius sinu depromenda*. Et tale quidem esse *veram* atque *viuam cognitionem* IESV CHRISTI; ex *centrali* eiusdem ad vniuersam Theologiam *ratione*, quam dedimus iam supra declaratam, manifesto sequitur. Quo ipso tamen haud subscribimus sententiae *Ioh.* LOCKII, in Tractat de Religion. Christianae Rationalitate, (an. 1695. Londin. edito,) non nisi *vnicum fidei Articulum*, scil. quod *IESVS sit CHRISTVS*, statuentis: quod ipsi lubentissime concederemus, si adderet, *vnicum fundamentalissimum*, s. *maxime centralem*. Hoc ipso autem manifestum est, quod *Centrum* nec *peripheriam*, nec *radios* e *centro* vel ad *centrum ductos* debeat auferre. Qua tamen in sententia praeeuntem sibi *Thom.* HOBBESIVM secutus est: cuius εὕρημα *Compendiarium in Christiana Religione nouum*, iam ann. 1674. vir Celeb. Dn. D. *Ad.* RECHENBERGIVS *discussum* Lipsiae vulgauit.

Est vero hic de eo potissimum dispiciendum, quare *Mysterii* nomen atque ratio possit illi competere: praesertim, cum non ita pridem ANONYMVS quidam

dam ANGLVS, publico quodam scripto, (quod *Berolini* anno circiter 1709. impressum fertur,) *Christianismum haud mysteriosum* esse publice ausus fuerit defendere. Sed vti commemoratus hic tractatus *duabus* iam iam doctiss. Dissertat. Ienae 1713. & 1714. publice propositis a *Dn. D. Ioh. Iacob.* LVNGERSHAVSENIO, (& priori quidem Praeside celeb. Dn. D. FOERTSCHIO ventilata,) solidis rationibus est confutatus: ita satis quoque est euictum, *nihil* quidem in Religione Christiana esse *contra rationem*; veruntamen etiam *non omnia secundum rationem*, sed *plura quoque supra*, aut *saltem praeter rationem*. Quapropter licet non improbandum plane sit illorum studium, qui cum *Henr.* HAMMONDO, *Henr.* HVLSIO; *Henr.* MORO, *Ioh.* LOCKIO, *aliisque*, operose in eo sunt versati, vt *dogmata Christianae Fidei* cum *Rationis dictamine* conciliarent: certum tamen quoque est, quod caute admodum in hoc labore sit versandum, ne in negotio *fidei* plus *rationi* quam *ipsi fidei* attribuatur. Requirit equidem & *Fides* suam *euidentiam*: sed eam non tam *Rei*, quam *Testimonii*; itemque, si *fides in viuacitate sua* spectetur, plus quoque circa eam *Sensui* quam *Rationi*, plus item *Experientiae* quam *Scientiae*, est tribuendum: de qua *spirituali renatorum & credentium experientia* Fautor meus atque popularis Venerandus, *Dn. D. Ioh. Georg.* PRITIVS, iam anno 1699. Lipsiae in Doctorali Panegyri, (&, nisi fallor, post eum etiam Halae celeb. Prof. Theologus, *Dn. Ioach.* LANGIVS,) publice disputauit.

Datur proinde quidem *aliquis cum fide rationis concursus*, a *B. D. Ioh.* MVSAEO contra *Nicol.* VEDELIVM, aliisque *Christiane-doctis* Viris, contra *Rationalistas* distincte satis ostensus: at vero non tam *fundamentum*, quam *instrumentum* Ratio hic praebet, estque insignis differentia inter id, *quod argumentationem instituit*, & *vnde argumentatio instituitur*; itemque inter id, quod *per rationem probatur*, atque id, quod *ex ratione probatur*; vti contr. *Andr.* WISSOWATIVM Socinianum optime haec discernit *B. D.* KORTHOLTVS in Dissert. de *Rationis cum Reuelatione* in *Theologia concursu*. Quamobrem licet supra commemoratus Vir perspicacissimus *Henr.* MORVS in Tractatu, quem *magni Mysterii pietatis*, (h. e. *Christianitatis,*) *explanationem* inscripsit, multa sane praestiterit egregia: nimia tamen posset forsitan videri eiusdem *gloriatio*, quando in *praefatione* ad *opera sua Theologica*, §ph. II. de isto suo Tractatu profiteretur, *nullum esse Christianae fidei articulum, nec vllum particulare miraculum, quod aut Seruatori accidit, aut per ipsum factum est aut faciendum, quod occurrit in Euangeliis, aut vsquam alibi in N.T. cuius plenam solidamque rationem non reddiderit; vsque adeo, vt ausit dicere, quod nemo sit, qui rationis vsum habeat, quin libere fassurus sit,*

se nul-

se nulla vera argumenta producere posse contra Religionem Christianam, qualis in ipsis S. Scripturis exhibetur. Quae tamen *posteriora* eius *verba* quodammodo declarant, ac si tantum ei fuerit propositum, ostendere, quod *Christianismus saltem non sit contra rationem*, etiamsi *non in omnibus secundum rationem*. Habet enim ratio proprium suum vsum in Theologia *naturali*, sed non aeque in *reuelata*; vbi *vsum* sui tantummodo praebet *paedagogicum*, sed *non didacticum*: aut, si etiam *quodammodo didacticum*, non tamen tam *positiuum* quam *negatiuum*; infirma nempe etiam *in iis*, quae falso iudicat interdum contra rationem esse.

Caeterum CHRISTIANISMVS *duplici* praesertim *ratione* est MYSTERIOSVS. Videlicet vel ratione *sui ipsius*, vel ratione *modi*, quo *cognoscitur*. Et quidem SVI IPSIVS RESPECTV est & *interna* & *externa* eius oeconomia atque ratio mysteriosa. Ad *INTERNAM* eius *OECONOMIAM* pertinet tam *admiranda humanae salutis via atque ratio*, a Deo *sapienter constituta*; quo spectat inprimis Dissert. elegans de *admiranda Iudicii* & *Amoris diuini temperamento*, a Dn. *Ioh. Conr.* MARQVARDO ann. 1707. sub Magnif. Dn. PRAESIDE hic publice defensa. Suntque & huius loci elegantissima *Eilhardi* LUBINI verba, ad locum Coloss. II. 15. p. 55. *Diabolus*, ait, *cum per sua organa Christum in crucem egit; sibi ipsi crucem fixit.* Quibus gemina sunt, quae ibidem & p. 46. *hac de re* apud ipsum leguntur; quibus etiam consonant verba *Erasm.* SCHMIDII ad h. l. elegantissima, quando inquit: *Cum in cruce pendens Christus, maxime videretur succumbere; maxime in eo Triumphum egit, nosque secum triumphantes fecit.* Eoque etiam pertinet Dissertatio ampla *B. D.* MEISNERI, quae agit de *magno Pietatis Mysterio, s. Deo in carne manifestato*, in qua (edita Vitemb. 1624.) §. CV. meditationem de hoc ipso argumento instituit, & ex quibusdam PATRIBVS inter alia ostendit, *qua ratione omnia fere diuina Attributa ex hoc mysterio* eluceant. Ad *EXTERNAM* vero eius *OECONOMIAM* pertinent sequentia IGNATII praeclara verba in Epist. ad Trallianos: *Quis quaeso Dei Digitum non agnoscat*, ait: *dum Christus per imperitos confutauit mundi sapientiam; per imbecilles prostranit Tyrannorum potentiam, per oues domuit leones, per columbas abegit serpentes.* Tum porro RESPECTV MODI, *quo cognoscitur*: est illud prorsus singulare, quod *non tam scientiam*, quam *simplicitatem consectantibus* Christus *se reuelet*; vt ipse profitetur Matth. XI. 25. 26. 27. dicens & alibi, quod *nemo Christiani nomen nouerit, quam qui ipse a Christo id acceperit*, Apoc. II. 17. Possem quoque de mysteriosa Christianismi ratione ex *B.* LVTHERO hic aliqua afferre: quae tamen consulto ad finem Dissert. nostrae reseruamus.

Aphor. II.

Summam huius noſtri *Pantomyſterii* habemus in *effato Paulino* maxime praeclaro, 1. Cor. I. 30. quo dicitur, *credentes a Deo* eſſe per IESVM CHRISTVM: *factum* nempe *ipſis* a Deo in *Sapientiam, Iuſtitiam, Sanctitatem*, atque *Liberationem*: cum nihil ſane his poſſit addi ad *perfectionem Religionis Verae* referendum. *

* Habemus hic OMNIA, quae ad Chriſtianiſmi *initium*, *progreſſum*, atque *complementum* requiruntur. Videlicet ad *Initium* pertinet Sapientia; ad *progreſſum* Iuſtitia & Sanctitas; ad *complementum* Liberatio. Id quod ita tamen accipi volumus, ne *Sapientia* a progreſſu & complemento, ne *Liberatio* a progreſſu & Initio, nec etiam *Iuſtitia* & *Sanctitas* ab initio & complemento, excludantur.

Hunc igitur *DIVINVM* Chriſtiani Pantomyſterii COMPLEXVM, pie atque eleganter LVTHERVS vocauit ſuum PLAVSTRVM: dicens in Tom. I. Ienenſ. Latino de ann. 1556. f. 540. a. *Plauſtrum ſane eſt ſauiſſimum, quod Chriſtus factus eſt nobis Iuſtitia, Sanctificatio, Redemtio, Sapientia, a Deo. Ego enim peccator ſum; ſed vehor in eius iuſtitia, quae mihi data eſt. Immundus ſum; ſed ſanctificatio mea eſt ſua Sanctitas, in qua ſanctitate vehor ſuauiter. Stultus ego ſum; ſed ſapientia eius vehit me. Damnabilis ſum; ſed libertas eius, redemtio mea, eſt plauſtrum ſecuriſſimum.* His paria ſunt, quae habet AMBROSIVS L. III. de Virginibus T. I. *Omnia*, ait, *habemus in Chriſto! Omnis anima accedat ad Eum! ſiue corporalibus aegra peccatis; ſiue clauis quibusdam ſecularis cupiditatis infixa; ſiue imperfecta adhuc quidem, ſed intenta tamen meditatione proficiens; ſiue multis aliqua ſit iam perfecta virtutibus. Omnis in Domini poteſtate eſt; & omnia Chriſtus eſt nobis. Si vulnus curare deſideras; Medicus eſt: ſi febribus aeſtuas; fons eſt: ſi grauaris iniquitate; iuſtitia eſt: ſi auxilio indiges; virtus eſt: ſi mortem times;*

mes; vita eſt: ſi coelum deſideras; via eſt: ſi tenebras fugis; lux eſt: ſi cibum quaeris; alimentum eſt. Guſtate igitur & videte; quoniam ſuauis eſt Dominus: B. Vir, qui ſperat in eo. Et talia quoque ſunt Verba HIERONYMI, de ſeptem ordin. Eccleſ. in fin. T. IV. *Mihi conuiuium Chriſtus eſt; cogitatio Chriſtus eſt; gaudium Chriſtus eſt; deſiderium Chriſtus eſt; lectio Chriſtus eſt; quies Chriſtus eſt.* Poteſt itaque Chriſtus & hoc reſpectu *PANTO MYSTERIVM* vocari, *quod eſt*, vti LVTHERVS loquitur Tom. IV. Ienenſ. Latin. fol. 552. b. in cuput II. Michææ, *communis theſaurus omnium:* ſicuti & Paulus ait ad Coloſſ. III. 11. τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός: quem locum praeclare illuſtrauit *Dn. Aug. Herm.* FRANCKIVS, in edit. concion. cui Tit. Alles und in allen Chriſtus; quacum ſpeciatim conferri etiam meretur *alterum* eiusd. opuſc. cui Tit. Kurtze Anweiſung zur wahren/ lautern/ und Apoſtoliſchen Erkäntniß JEſu Chriſti/ edit. Halae 1714. vbi *praecipui* ſalutis noſtrae in Chriſto *theſauri*, (quos *B. Ioh. Caſp.* SCHADIVS im geiſtl. Schatz-Käſtlein der Kinder Gottes/ & *B. Ahaſv.* FRITSCHIVS in eleg. libello, cui tit. höchſt-nöthige Chriſtenthums-Fragen/ edit. Luneb. 1689. compendioſe propoſuit,) praeclare prorſus oſtenduntur: vt caetera huc pertinentia *ipſius* Scripta, lectu digniſſima, taceam. Pertinent & huc eximiae quaedam ſub Vener. Dn. D. MAIO noſtro diuerſo tempore habitae Diſſertationes: quales ſuns: *De viua viui Chriſti cognitione*, hab. 1702. de *Summa Theologiae Chriſtianae*; ſiue *myſterio magno*, h. e. de *Chriſto & pro nobis, & in nobis*, hab. 1714. vt *Ipſius & aliorum* plures alias taceam. Quibus tamen & ſpeciatim aecenſeri poteſt Vener. Dn. PRAESIDIS Diſſert. de *duplici cognitione Chriſti, vera ac falſa, nempe literali ac ſpirituali*, quae ann. 1695. fuit hic propoſita.

Aphor. III.

Speciatim vero Saluator noſter IESVS CHRISTVS factus a Deo nobis dicitur: 1.) In SAPIENTIAM, quatenus ab eo pendet *Cognitio*, ad perfectiſſimam felicitatem nobis neceſſaria: 2.) In IVSTITIAM & 3.) SANCTITATEM; quatenus ab ipſo pendet omnis noſtra *Rectitudo*, qua & *iuſtificamur* coram iudicicio diuino, eſt *ſanctificamur* ſiue

siue *purificamur* in nobis ipsis; quorum altero *reatus culpae*, altero *ipsa culpae abominatio* tollitur: ac 4.) denique in LIBERATIONEM; quatenus ab ipso pendet omnis nostra e *quocunque poenali malo*, (quod culpa nostra post se traxit,) plena *Exemtio*, inque *omnis boni possessionem liberumque vsum* assertio. * (En pulchrum IV. Facultatum compendium!)

* Ingens hic denuo dicendi campus foret. si omnia haec pro dignitate sua essent plenius ediserenda. Sed labor, qui sub manibus creuit, non patitur, nos omnia, quae argumenti amplitudo ferret, hic exponere. Quare de *singulis* tantummodo *paucula* adhuc dicenda erunt.

De *Christo* in SAPIENTIAM *nobis facto*, insigne extat Pauli effatum, Coloss. II. 3. vbi *omnes sapientiae Thesauri in ipso* dicuntur *esse reconditi*. Qui locus non tantum est intelligendus de *Sapientia*, quam ipse habet *in se ipso*, sed etiam de *Sapientia*, quam nobis impertit *ex se ipso*: praesertim vero illa, quae ad supremam nostram salutem, summamque felicitatem, pertinet. Id quod ideo monendum duco, ne quis *inferioris* quoque *generis Scientias & Artes*, abiectis omnibus *humaniis studiis*, ex Christo arcessendas sibi autumet; licet verissimum sit, quod in his quoque *Christi cognitio* animum ipsa imbutum eatenus perficiat & subleuet, quatenus mens per ipsum *illuminata* atque *sanctificata* est multo aptior, vel ad *humana* quoque *studia* tanto rectius atque felicius tractanda; *Christique virtus* sit etiam de caetero quam *maxime sufficiens*, ad suos fideles, (*sicubi opus fuerit*,) vel citra humana praesidia & adminicula, eiusmodi facultatibus, (ceu docet Historia) instruendas. Videlicet *Mens est lumen corporis*; *Ratio mentis*; *Fides religionis* (atque *rationis*;) *Christus fidei*: vt commode loquitur AVTOR der auserlesenen Anmerckungen / Part. IV. pag. 77. Ibidemque pag. 174. ad quaestionem: *quisnam sit praestantissimus liber?* commode respondetur Scriptura; ad *Christum* sc. ducens. Hic enim est שֹׁרֶשׁ דבר, *seu ipsa Radix diuini Verbi in fidelibus*; de qua Iobum c. XIX. 28. esse locutum, visum fuit *Dn. D.* FEVSTKINGIO in Dissertatione ad h. l. habita; & de qua accipi posse loca Luc. VIII. 13. Coloss. II. 7. haud obscure indicauit *Dn. D.* MAIVS, in Harm. Euang. Part. IV. c. XIX. §. XXI. pag. 796. quibus locis & addi posset Iacob. I. 21. Idemque Saluator noster est verus etiam PROMETHEVS, qui

qui *verus Propheta ignem lucemque* hominibus *de coelo* attulit: de quo vid. CLEMENT. Rom. *Recogn. L. I.* §. 16. *sqq.* & conf. Dissert. Dn. D. MAII de *Theosophia Christianor. vniuersal.* edita 1699.

De *Christo* in IVSTITIAM & SANCTITATEM *nobis facto*, testatur quoque Paulus 1. Tim. III. 16. vbi *Incarnatio Filii Dei* vocatur *notorie magnum Pietatis Mysterium:* estque & illud praecipue hic obseruatu dignum, quod *posterior* non nisi in *priori*, h. e. Christus *in nobis* in Christo *pro nobis* debeat fundari. Quam in rem meretur specialiter conferri iam supra p. 71. citata sub Praesidio *Eiusd. Vener.* VIRI habita de hoc argumento praeclara Dissertatio, quae simul plures huc pertinentes Scriptores indicabit. Quam necessarium vero sit, *hunc nexum* probe obseruari; vnico docebimus exemplo, de quo nos AMICVS monuit, in Christi cognitione profundissime versatus: quippe ex Rom. VI. 6. solide ostendens, quod doctrina de *Morte fidelium mystica* non tam ad articulum de *Sanctificatione*, quam de *Iustificatione* debeat referri, in eoque fundari: quia scil. *Christus pro nobis mortuus, nostrum* quoque *veterem hominem morti secum tradidit*, effectuque morali realissimo *aboleuit*; vt *nullum* hoc ipso nobis amplius *ius sit*, si morte eius salutari frui velimus, vt *nobis ipsis, nostrisque cupiditatibus viuamus.* Conf. Rom. VI. 10. sq. & Galat. II. 17-20. Quod singulare argumentum esset omnino vlteriori consideratione maxime dignum: sique recte ex nostra & Amici illius mente accipiatur; cum doctrina B. LVTHERI, quam de *fructu baptismi & poenitentia renatorum quotidiana* in vtroq; Catechismo proposuit, non modo optime conspirat, sed quoq; illud ipsum est, quod Vir Beatus voluit, & profundissime perspexit. Atque huc etiam quodammodo pertinet Consilium B. D. STAVPITII, quo circa Articulum de *Praedestinatione* B. LVTHERVM in hunc modum optime instruxisse fertur: *Frater Luthere, disputaturus de Praedestinatione; incipe a vulneribus IESV.*

De *Christo* in LIBERATIONEM *nobis facto*, cuius spes maxime fundata est in *Mysterio*, de quo Paulus loquitur Eph. V. 32. collat. cum v. 29. 30. ampla quoque foret dicendi materia: pertinentque huc *illae omnes*, quae de *Beatitudinibus Euangelicis*, omnibusque *fidelium Praerogatiuis*, complures prostant piae Doctorum, (quorum nomina iam denuo adducere haud vacat,) meditationes. De *priori* tamen argumento egit quoque speciatim *Ioh. Henricus* HEIDDEGGERVS, Dissertt. Acad. Tom. II. deque *posteriori* celeb. D. BVDDEI supra p. 39. citata Dissertatio. Pertinent huc *Comitia Thaboritica*, vt ea vocat *Dn. D. Ioh. Frid.* MAYERVS in Dissertt. Acad. dissert. II. de his Comitiis agente: ad quae admitti longe esset beatius, quam implicari eiusmodi controuersiis, quales Sec. XIV. in Oriente inter *Barlaamum* & *Palamam* de *lumine Tha-*

boritico sunt quondam agitatae. Pertinet huc autem propinquiori respectu controversia recentissima de *actuali fidelium salute in hac vita*: cuius historiam *Dn. D. S. C.* TEVBERVS publice proposuit in opusculo, quod Irenaei Eroticum inscripsit, suamque addidit ἐπίκρισιν; quam suo loco iam relinquo, & talem existimo controuersiam, quae *commoda explicatione* posset facile componi.

Aphor. IV.

Huius igitur *Pantomysterii* cum *tot* ac *tanti* sint *thesauri*: optandum sane foret, vt nostrum illud *Antiquissimum*, vnicuique, (missis tamen omnibus *Pseudomysteriis*,) nunquam non existeret *Nouissimum*: quo facto dubium non est, quin *plures* & *vberrimi fructus* in omnes exinde sint redundaturi.*

* MYSTERIVM hoc *pietatis ingens*, nulla sui culpa, ansam praebuit ad pluta etiam PSEVDO-MYSTERIA gignenda; qualibus abundat vniuersa *Historia haeresiologica*, in hoc articulo potissimum foecunda & conspicua: quibus merito etiam accensemus τὸ μυστήριον, quod sec. Apoc. XVII. 5. *Babylonica Meretrix* fronti suae habet inscriptum: quod an *papalis* etiam *corona* externe sibi vendicet; inter clariss. Viros *D. Christ. Gotth.* BLVMBERGIVM & *D. Ioh. Ludov.* HANNEMANNVM non ita pridem fuit disputatum. Certius est, quod *Philip.* MORNAEVS detexit *Mysterium iniquitatis*; quale etiam est illud, quod Paulus prospexit, 2. Thess. II. 7.

Vere autem perspectum verum IESV CHRISTI Mysterium, erit nobis ad *innumera commoda* proficuum; praesertim autem ad *deformatam* sequiori aetate *Christianismi primaeui faciem*, in pristinam venustatem merito digneque *reformandam*. Huius enim virtute concidet sua sponte religionum *Indifferentismus* atque *Libertinismus*; coercebitur insolens rigore *Christianismus* ex abusu suo *Sectarius*; redibit in gratiam *sanctior Doctrina & Disciplina*; & *vtriusque decus* Vitae *integritate* comprobabitur.

TYPVM vero *sequiorum* atque *deteriorum* in *Christianismo temporum*, potest nobis antiqua *Ecclesiae Iudaicae* facies praebere. In ea scil. maxime conspicuam Ecclesiae partem constituebant *PHARISAEI* atque *Scripturarii*, sedentes

tes in *cathedra Mosis*, sed *Traditionibus suis* plus tribuentes, quam *Diuino verbo*, atque plus *Literae*, quam quidem *Spiritui*. His accedebant *SADDVCAEI*, s. homines, in *religionis negotio licentiosi*, & *rationi* suae *corruptae* nimis *indulgentes*, iique Pharisaeis tam exosi, quam eos odio habentes. Praeter hos dabantur quoque ESSAEI, in *singularibus vitae morumque institutis* magis, quam in *doctrinae capitibus* Religionem collocantes, iique nec *Pharisaeis* nec *Sadducaeis* cari & probati; quippe cum *neutris* facientes. His interueniebant quoque *GAVLONITAE* & *HERODIANI*, haeresi Pseudo-politica insignes, & vel *Seditiosi*, vel *Tyranni*. Hos omnes inter in perpetuo versabantur discrimine veri CHRISTIANI, s. *NAZARAEI* atque *GALILAEI*; non *licentiosi* plus iusto, neque etiam iusto *rigorosi*; non soli *literae*, nec soli etiam *spiritui* omnia tribuentes; *traditiones* & *doctrinas* humanas *non damnantes quidem*, sed tamen *ad amussim diuini verbi reuocantes*, eidemque *postponentes*: non *singularitatem*, sed *integritatem* consectantes, *sanctamque vitam* cum *vera doctrina* coniungentes. Hi caeteris omnibus erant quam maxime inuisi; nisi quod *Nicodemos* & *Gamalieles* patrocinantes quandoque haberent; sed caeterorum furorem reuerentes. His *veris* autem *Christianis* multum vna *negotii faceſſebat odiique contrahebat* πανοζηλία *EORVM*, qui *affectatione* magis & *nominis vsurpatione* quam *praestatione* ac *veritate rei* pro talibus se venditabant: *falsi* scil. *fratres*, *Apostatae*, *Fanatici*, *Haeretici*, variis *erroribus* & *abominationibus* insignes, quos Cacodaemon *lolii* ad *instar* inspergebat *tritico*, & ideo agebat in furorem, vt Veritati coelesti id cederet in offendiculum, verique Christiani caeterorum *spurcitie* & *anomia* varia praeter sui culpam *contaminati* atque *exosi* redderentur.

Agmen *nostrarum* de Pantomysterio Religionis *meditationum* claudant DVO insignia LVTHERI nostri EFFATA. Horum ALTERVM Tom. VIII. Altenb. f. 45. a. legitur sequentem in modum: S. Paulus schreibt hin und wieder / daß Christus unser HErr ein **Geheimniß** / Mysterium; und darff auch wohl die H. Kirche zu Epheso ein **Geheimniß** heissen. Solches hielte ich vor Zeiten / da ich einen Doctor der Heil. Schrifft mich muste nennen lassen / für eine **schlechte Rede** / die ich sehr wohl verstünde. Aber / nun ich GOtt Lob! wiederum ein armer Schüler worden bin in der H. Schrifft / und je länger je weniger kan; hebe ich an / solche Worte wunderlich anzusehen / und finde aus der **Erfahrung** diese Glosse / daß es müsse **ein Geheimniß** heissen. Denn / so **hell** und **klar** die Apostel (auch mit Wunderzeichen) davon predigten; bliebs doch **verborgen** und **heimlich** den **allerhöchsten** und **klügsten Leuten auff Erden**: wie Christus spricht / Matth. XI.

Du hast solches verborgen den Weisen ꝛc. ALTERVM vero in Tractatu ad Cap. VII. Matth. sequentis est tenoris: Das **Evangelium** muß jedermans **Fußtuch** seyn / daß alle Welt darüber lauffe und es mit Füssen trette/sampt seinen **Predigern** und **Schülern**. Was sollen wir nun dazu thun? **Ihr** sollts **nicht** / spricht Christus / **für die Säue und Hunde werffen**. Ja/ lieber HErr/ sie habens bereits. Dann / weil es eine öffentliche Predigt ist/ und in die Welt ausgeschüttet; so können wir nicht wehren / daß sie nicht drein fallen / und es zu sich reissen. Aber / **sie habens darum noch nicht**/ und wollens ihnen (GOtt Lob!) wohl wehren / daß sie **das Heiligthum** nicht kriegen. Die **Schaalen** und **Hülsen** haben sie wol/das ist die **fleischliche Freyheit**: aber/das sey ihnen gewehret / daß kein **Hund** noch **Sau** einen **Buchstaben vom Evangelio** kriege / ob er gleich **alle Bücher** lâse/ und **alle Predigt** höret / und lässet sich düncken / er **könne es überaus wohl**. Haec grauissima & huc apprime facientia LVTHERI nostri effata & eloquia vt omnibus cordi sint; haud immerito precamur; existimantes, haec SAPIENTI SAT esse.

DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

SECTIO PRIMA GENERALIS: qua agitur de IESV CHRISTO, a Christianis omnibus maximopere celebrando: deque Eo secundum Nomen *atque* Rem *h. l.* summatim *praenoscendo.* p. 1. sqq.

SECTIO SECVNDA SPECIALIS: qua agitur de Iis, quae Titulo praesentis Dissertationis speciatim *sunt expressa.*

CAP. I. *de IESV CHRISTO, spectato vt Antiquissimo & Nouissimo Theologico.* p. 27. sqq.

CAP. II. *de IESV CHRISTO, spectato vt totius verae Theologiae Centro.* p. 43. sqq.

CAP. III. *de IESV CHRISTO, spectato vt Religionis verae Pantomysterio.* p. 64. sqq.

Pag. 24. lin. vlt. leg. FABRICIVS. Sique alia adhuc occurrant Sphalmata: rogamus, vt talia qui inuenerit, eadem corrigat, atque condonet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0088
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0090
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0091
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818579811/phys_0092
DFG

De

ILII DEI
A SE FACIENTIS
A OPERATIONE.

§. I.

multa paradoxa, quæ paſſim
ione verbi divini primo conſpectu
ent, haud parvi momenti illud eſt,
Chriſtus Deitatem ſuam probat ex
tionibus ſuis, quæ unice a Patre
oteſt, inquit, *Filius A SE IPSO*
ſi videat aliquid Patrem facientem,
livinissimi dicti veritatem non ſta-
s humanæ ſapientia naturalis, cum
atur, *a ſe eſſe*, & *a ſe operari*. Me-
ctioni Dei ſummæ tribuitur, quod
xiſtendum aut operandum præter
at. Quam igitur hoc eſt παράδοξον,
x eo probari, quod Deitati vide-
poſitum & nimium repugnans!
on dubitamus operæ pretium futu-
ntum Theologicum ad antiquiſſi-
ſtianæ veritatem, *Filii a Patre ex-*
am idoneum ex hoc loco aliisque
ore Dei ſedulo expendamus. Ita-
ſtinctius agatur 1. operationem di-

Argumenti propoſitio & diviſio.

46.